

lea  
Sibiu  
12  
25  
17

In Nomine Domini nostri

JESU CHRISTI

*del usum by Narany*

IDEA

ACTIONUM

JURIDICARUM,

A VIRO PATRII,

EXTERIQUE JURIS PERITIS-  
SIMO.

In maximam Juris Tyronum uti-  
litem concinnata.

Et nunc denuo edita.

CLAUDIOPOLI

Typis Academicis Soc. JESU

Anno 1759.

40

T H E S E S

E X

U N I V E R S A

T H E O L O G I A,

*Ad Mentem Doct̄oris Mariani*

JOANNIS DUNS-SCOTI.

Q U A S

A D M O D U M

REVERENDO PATRI

GAUDENTIO

JABLONSKY,

Almæ Provinciæ Hungariæ SS.

SALVATORIS Ord. Frat̄. Min. Strict.

Obs̄erv. V. Conventus Okolicsnensis

G U A R D I A N O

D I G N I S S I M O,

SS. Theol. Lectori Meritissimo,

Concionatori, & hujus Provinc. Tran-

sylvaniæ Sancti Apostolici Regis Stephani

ejusdem Ordinis & Obs̄ervantiæ.

28  
C O M M I S S A R I O,

V I S I T A T O R I G E N E R A L I,

Superiori Colendissimo dedicatas.

S U B  
C O M I T I I S  
P R O V I N C I A L I B U S  
*Publicè propugnârunt*

VV. PP. NAZARIUS SLAMA,  
LUCAS RAFFAIN, & CASI-  
MIRUS DAMOKOS,

Ord. Min. S. P. N. Francisci,  
Strict. Observ. Provinciæ Tran-  
sylvaniæ S. Regis Stephani Alumni,  
AA. LL. & Phil. Lectores Candidati,

*In V. Conventu Claudiopolitano ad  
Nives Marianas.*

P R Æ S I D E

P. F. INNOCENTIO  
X Á N T H Ó S,

Ejusdem Ord. & Provinciæ SS  
Theologiæ Lectore Actuali.

*Annò M.DCC.LXII. Die Mensis*





# I.

**D**EUM existere, lumen naturale ostendit. II. DEUS, contingentia libera, tam absolute, quam conditionate futura novit in sua essentia, ut in medio prius cognito, supposito Decreto concomitante. III. Non in Decreto, *quod foret*: nec in Scientia media. IV. Sicut electio predestinatorum ad gloriam, previsis eorum meritibus; ita reprobatio damnandorum ad poenam, facta est previsis horum demeritis. V. Datur Mysterium SS. Trinitatis. In quo tres Personae Divinae consubstantiales, sunt realiter distinctae. VI. Spiritus Sanctus verè a Patre Filioque procedit. Et, si per impossibile à Filio non procederet, adhuc realiter personaliter distingueretur ab eo. VII. Libertas indifferentiae remansit in homine lapsa. VIII.

Actus externus, superaddit interno distinctam bonitatem, vel malitiam moralem extensivè. IX. Dantur actus morales, tam in specie, quam in individuo indifferentes. X. Non solum in materia justitiæ; sed etiam aliarum virtutum, possessio, cum practica resolutione est sufficiens titulus, deponendi dubium speculativum. XI. Quando agitur de sola actionis honestate; non verò de valore, efficacia, aut damno tertii, licet sequi opinionem verè probabilem, relicta probabiliore, ac tutiore. XII. Perfectior intellectus, cum æquali lumine gloriæ, perfectiorem producit visionem beatam. Datur locus Purgatorii. Singulis hominibus puris, deputatus est proprius Angelus Custos. XIII. Ratio formalis peccati, consistit in privatione conformitatis ad legem. Nullum est simpliciter infinitæ malitiei. XIV. Omnis homo (intellige accomodè) ab Adamo naturaliter propagatus, contrahit peccatum originale. XV. DEus; in ordine ad salutem, confert omnibus hominibus gratiam sufficientem. XVI. Potest homo gratiâ adjutus observare legem

legem Divinam, & bonis operibus promereri de condigno vitam æternam. XVII. Ad quam consequendam, non sufficit sola fides. XVIII. Opera meritoria, per peccatum mortificata, reviviscunt in subsequente pœnitentis justificatione. XIX. JESUS Nazareus, fuit verus Messias, Homóque simul, & DEUS æternus. XX. Unio Hypostatica non in unitate naturæ; sed personæ facta est. XXI. Licet, plures Personæ Divinæ non possint eandem; una tamen potest assumere simul plures naturas humanas. XXII. Christus, ut Homo, est Caput mysticum Ecclesiæ *Militantis, Purgantis, & Triumphantis*. B. V. MARIA, est vera Mater Christi DEI-Hominis. XXIII. Humanitas Christi, non est ubique. XXIV. Incarnatio Verbi Divini, fuit decreta quoad substantiam, ante prævisum peccatum. Unde Adamo non peccante, Verbum Caro factum fuisset. XXV. Christus, pro omnibus hominibus, etiam reprobis mortuus est, & satisfecit. XXVI. Angeli, & Sancti licitè coluntur, & invocantur: Cruces item Christi, imagines,

& reliquiæ Sanctorum. XXVII. Anima Sanctorum, quibus nihil luendum restat, post mortem immediatè fruuntur gloriâ Cœlesti. XXVIII. Objectum formale fidei Theologicæ, est veracitas DEI in cognoscendo, & loquendo. XXIX. Post lapsum primi Parentis, fides supernaturalis, pro omni tempore, & statu fuit necessaria necessitate mediæ, omnibus hominibus ad justificationem, & salutem. Hinc XXX. In omni lege, fuit necessarium, eadem necessitate, credere explicitè: *DEUM esse; Remuneratorem bonorum supernaturalem, & justissimum Vindicem malorum esse.* Et XXXI. Probabilius, Evangelio sufficienter promulgatô, etiam Mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis. XXXII. Omnes fideles, justî, & peccatores, occulti, vel manifesti; imô & reprobi sunt vera Ecclesiæ membra. XXXIII. Romano-Catholica, est vera Christi Ecclesia. XXXIV. Potestas regendi Ecclesiam, remansit penes S. Petrum Apostolum. Et XXXV. Ejus Successores legitimè electos. Ac XXXVI. In specie, penes CLEMENTEM XIII. modo



dò regnantem, Pontifices. Qui in rebus fidei definiendis, loquentes ex Cathedra, errare non possunt. XXXVII. Simplex usus facti revocabilis, & licitus, in rebus unico usu consumptibilibus, est separabilis a dominio. XXXVIII. Repugnat, simul perfectum dominium duorum in solidum. XXXIX. Septem sunt Novæ Legis Sacramenta. XL. Validus, & sufficiens Minister Sacramentorum, est solus homo Viator, rationis capax. XLI. Ad quorum validam confectionem, requiritur in Ministro intentio faciendi, quod facit Ecclesia vera. XLII. Baptismus, in re, vel voto, omnibus hominibus est necessarius necessitate mediæ ad salutem. XLIII. In necessitate, licitum est etiam mulieribus baptizare. XLIV. Christus Dominus, verè, realiter, & substantialiter est præsens in Eucharistia. Etiam extra actualem ejus usum. XLV. In qua, per consecrationem, datur vera *Transsubstantiatio*. XLVI. Non obligantur Laici, ad sumendam Eucharistiam sub utraque specie. XLVII. Missa, est verum Sacrificium Incruentum.



entum. XLVIII. Plena peccatorum  
mortalium, susceptò Baptismò com-  
missorum Confessio, in specie facienda  
Sacerdoti, est necessaria necessitate  
præcepti Divini. XLIX. Sacerdos ab-  
solvens, verè dimittit peccata aucto-  
ritate judiciaria à Christo accepta,  
& non tantùm annunciat esse à DEO  
dimissa. L. Pœnitentibus Sacramen-  
taliter, rectè injunguntur bona ope-  
ra, in satisfactionem peccatorum  
temporalem.

O. A. M. D. G.





In Nomine Domini

Nostri Jesu Christi

DE

IDEA, VEL LIBELLO  
ACTIONUM JURIDICA-  
RUM.

CAPUT I.

**M**Issis duobus prioribus Juris objectis, Personis nimirum, & Rebus; sub- sternemus Tyronum cognitioni tertium Juris objectum, id est, Actionem in sensu Juridico acceptam: cujus Definitio- nem non quidem Philosophicam, sed dun- taxat Juridicam ab ipsis Juris-Consultis hanc accepimus. *Actio est Jus prosequendi in Judi- cio, quod sibi debetur: ubi Jus Generis, cæ- tera vicem Differentiæ suppleat.*

Conceptus autem Juris hic loci, non tan- tum facultatem agendi, ut loquuntur, in ac- tu primo, verum in actu etiam secundo, sive actuale Juris exercitium, involvit: pos- set hæc Definitio Juri Patrio convenienter,

sic efferri. Actio est Propositio Actoris, in qua petit *A.* in Judicio ratione suæ præ-tensionis pro legum, & æquitatis dictamine contra Inctum sibi Jus dici, Justitiamque fieri:

Huic æquipollet, si dixeris: Actionem, vel Libellum, esse petitum Actoris, in quo facti species, & fundamentum agendi exprimitur.

Vocatur hæc Propositio in Jure nostro, unicô terminô *Levata*; in Jure autem Civili; *Libellus Actionalis*.

Cujus substantialia requisita sunt, eam coram legitimo, & competente Judicio, à competente Actore æquè contra competentem Inctum, penes legalem Processum, sive servatis de Jure servandis, proponi, vel institui, intèrque substantialia præcipua præ reliquis sunt species Facti, Temporis, Loci, & Personarum exprimenda, sine quibus nulla actio potest in Judicio vim aliquam sortiri; ut habet Textus Juris Prologi Tit. 23. nec non *Part. 2. Tit. 26. & 82.*

Hæc requisita exponunt hi versus;

Quis? Quid? ubi? Quibus auxiliis?

Cur? Quomodo? Quando.

Item.

Quis? Quid? Coram quo? Quo

Jure petatur? & à quo?

Rectè compositus quisque libellus habet.

In

In his autem Actionum substantialibus primò : offert se Judicium, vel Forum competens, sive legitima, & ordinaria exercendarum litium sedes: Ubi nimirum; & in qua juxta Legum Patriarum præscripta, tam Actor agere possit, quàm etiam Inctus seipsum Jure defendere tenetur; nulla enim Persona, & præprimis Nobilitari Prærogativa gaudens tenetur coram incompetente Judicatu seipsum defendere, ut habet Jus Patrium *Appr. Const. P. 3. T. 6. Ar. 1. Az Nemes ember csak coram suo competente Judice tartozzék törvént állani, és nem másút.*

In Jure etiam Digestorum sancitum est; *Extra territorium, vel Jurisdictionem suam Jus dicenti impunè non paretur. Ultimo Art. de Jurisdic.*

Comparere equidem Inctus ad Forum incompetens tenetur, ne videatur Judicium auctoritatem per contumaciam contemptui habuisse; sed ubi remonstraverit se, vel causam suam tali judicatu non subesse, ab instantia, & à Foro absolvetur.

Secundò; In substantialibus Actionum venit considerandum; utrum Actor, vel Inctus sint competentes? Competens autem Actor erit, qui ad agendum tam personam legitimam standi in Judicio, quàm etiam causam, ac prætensionem in Jure Patrio, & æquitate fundatam, & consequenter illius cogni-



tioni immediatè substratam habuerit, id est, qui habet à lege indultam in Judicio contra Inctum agendi facultatem;

Inctus etiam competens ille erit, qui eidem judicio, quo provocatus est ratione prætensionis contra ipsum motæ, immediatè subjicitur; Quique; Jure præcipiente seipsum, causamque suam contra Actorem defendere tenetur;

Tertium substantiale est, Processus æquè legitimus esse debet competens; *Processus siquidem extra, & præter formam Juris institutus ipso Jure est nullus.*

Actio autem, & Processus necessariò præsupponunt Litis motionem; Lites verò non aliter, nisi penes processum Evocationis, Citationis, aut Certificationis moveri solent

Est itaque *Evocatio, vel Citatio actus Judicialis, quo A. Inctum experiundi causâ ad legitimum Judicium in Jus vocat.*

Hinc penes Processum vocationis, Causæ solent moveri virtute Literarum Præceptoriarum in Inclutam Tabulam Regiam, ut habet Jus Patr. App. Con. P. 4. T. 1. Art. 13.

At verò penes Citationem virtute Instructionum ab exponente in tali casu procedenti præscribendarum, in inferiores Sedrias, Comitatus nempè, & Siculicales, causæ, & casus promoventur, ut docet idem Jus Patrim App. Con. P. 4. T. 1. Art. 19.



Ipsa demum Certificatio propriè, & in sua virtute sic dicta, habet præcipuè, & ordinariè locum in processu queruloso, in Codice Appro. Con. P. 3. T. 8. Art. 1 legitimè fundato: De quibus infra uberius.

## CAPUT II.

### De Divisione Actionum.

**A**ctio concipitur, vel in *Rem*, vel in *Personam*, vel in utramque: id est, ipsam *Rem* final, & *Personam*; unde alia Actio dicitur *Realis*, alia *Personalis*, alia autem *mixta* nuncupari consuevit.

In *Actione reali* Fundamentum est, *Jus in re* consistens.

*Personalis* autem fundatur in *Jure ad rem*. *Mixta* seipsam fundat in utraque, *Reali* nimirum, & *Personali*. Unde deducitur, *Actionem Realem* competere vero *Domino*, contra eum, qui *rem ipsius mobilem*, vel *immobilem* possidet, aut apud quem *actuale Dominium rei alterius*, v. gr. *veri Domini*, & *Proprietarii* reperitur: *Ubi* pro clariori conceptu aliquid pro captu *Tyrorum* de *dominio* dicendum.

*Dominium* dicitur *Jus*, vel *facultas* de *rebus suis* perfectè disponendi, nisi id *Jure*, vel *conventionem* prohibeatur.

*Dominium* hocce in sua perfectione consideratum duo complectitur, proprietatem

scilicet, ac ipsam rerum actualem Possessionem. Hinc dividitur in *plenum*, & *minus plenum*; Plenum Dominium tunc dicitur, cum & Proprietas; & Possessio rei, vel actuale Dominium est penes aliquem. Minus plenum verò tunc, quando proprietas v. gr. apud me, Possessio autem, & actuale Dominium apud alterum reperitur. Dominium in priori casu acceptum dicitur *directum*, in posteriori verò, *utile* nuncupatur, eò quòd utilitas, & fructuum perceptio apud Possessorem manet, ut in *Causis dotalibus*, *Paraphernorum*; præcipuè verò in bonis in hypothecatis res est manifesta; quia proprietarius extra Possessionem rei suæ reperiendus directum duntaxat, non verò utile Dominium habet, existente illo apud illos, qui ipsam proprietarii rem, vel bona actu ipso manu tenent. Par exemplum est in *Actibus quoque Potentiariis*, dum videlicet verus rei Dominus proprietatem quidem rei suæ omni Jure habet, sed Possessione ejus per potentiarium perperam privatus, spoliatusve est.

Ad superius mentionati Domini considerationem refertur illa distinctio, dum Dominium dicitur *reale*, & *successorium*: illud est, quando aliquis est in actuali Bonorum Possessione; hoc autem consistit in Jure succedendi, ut habet *Decretista P. I. T. 67.*

Rectè autem additur in definitione Domini, nisi per leges, aut conventionem partium disponendi facultas restricta sit. Quia tunc, & ibi quoad abalienationem bonorum præprimis Aviticorum immobilium deficit facultas disponendi, utpotè per expressam legis literam prohibita. P. 1. T. 58.

Summa enim est differentia in Jure nostro inter Avitica præprimis immobilia bona; & per se acquisita: in illis enim deficit principium validitatem dans liberæ dispositionis actui: de his autem quivis acquirens ex fundamento legum P. 1. T. 5. & 57. liberrimè disponit.

Quid ergo dicendum: nonnè erit Proprietarius Bonorum immobilium Aviticorum verus Dominus, si de iis liberè nequeat disponere? imò verò est verus illorum Dominus, quoad curam, gubernationem, conservationem, & administrationem, fructuumque ex iis percipiendorum distractionem; non verò quoad abalienationem, exceptis casibus summæ necessitatis in Jure Tripar. P. 1. T. 59. expresso §. qui incipit: *Tertiò verò, & ultimò modò.* At verò quod attinet per se acquisita tam quoad conservationem, quàm etiam quoad abalienationem eorundem perennalem, Proprietarius est omni jure verus Dominus, potèstque de illis pro suo libitu liberrimè disponere ad mentem præcicatorum

Juris Textuum; P. 1. T. 5. § 57. Ut & Approb. Const. P. 3. T. 25. §. ultimo.

Hæ Leges sunt fundamentales, quæ nobis attribuunt in bonis acquisitis liberrimam disponendi, & abalienandi facultatem: hinc etiam sumpsit originem inter cætera, Testamenta ordinandi, & disponendi facultas: quæ quidem quidnam sit? definitivè de ea in jure nostro vix est aliquid clarè, distinctè, & specificè expressum; sed ejus ratio, & indoles accommodata est isti facultati, cujus virtute in aliis casibus de rebus, & bonis, ac juribus nostris Fæssiones celebrare consuevimus. Quoniam verò Testamentorum ordinandorum ratio frequens est; ideo fortè non abs re erit, non in aliorum, sed duntaxat in gratiam Tyronum de facultate ordinandorum Testamentorum hic loci saltem delibâsse aliquid, ne videantur Tyrones in cognitione Juris Patrii peregrinari.

### CAPUT III.

#### *De ordinandis Testamentis.*

**C**UM hic non requiratur Philosophica definitio; potest describi Testamentum, dispositio ultimæ voluntatis, à Legibus eo fine approbata, ut ex ea manifestè constet, in quem velit disponens Bonæ, sua post mortem devolvi.

Juris Consulti dixerunt Testamentum esse:

*Justam*



*Iustam sententiam humanæ voluntatis, de eo, quod quis ratione Bonorum suorum post mortem suam fieri velit.*

Dicitur denique Testamentum, Ultima voluntatis actus: quo designatur, quis futurus sit hæres Testantis post mortem ipsius.

Essentiam Testamenti duæ res videntur absolvere; primò: authoritas, vel facultas de rebus, & Juribus suis liberè disponendi à Legibus concessa.

Secundò: Solemnitates, quas Leges in ordinandis Testamentis requirunt.

Prius requisitum videtur intrinsecam Testamenti formam constituere: Posterius verò externam. Posita enim in aliquo subjecto de Bonis, & rebus suis libera disponendi facultate, ponitur eo ipso intrinseca disponendi forma; & vicissim positæ solemnitatibus à jure requisitis, similiter ponitur externa forma, vel modus ordinandorum Testamentorum.

Quid per liberam de suis rebus disponendi facultatem debeat intelligi? ex ipsis terminis lucidè constat: est enim hæc facultas in disponente, vel Testante ejusmodi Principium, quod ipsi actui validitatem attribuit. At verò quid deceat hic loci per solemnitates à Jure requisitas intelligi? ambiguum est; tum ideò, quia leges nostræ hæc solemnitates per expressum non videntur de-



finivisse; tum etiam ideo, quia de istis solemnitatibus opiniones Juris-Consultorum in varias partes abeunt: Itaque per hasce solemnitates à Jure requisitas, nihil aliud Juris Consulti in genere intelligunt, quàm Testium fide dignorum, omnique exceptione majorum, tempore ordinandorum testamentorum præsentiam, adeò, ut ipsi Testes coram disponente sint præsentés, possintque super eo testari: quod illa dispositio Testamentaria, cujus ordinationi illi præsentés fuerunt, à disponente in statu bonæ mentis constituto exstiterit, coram ipsis, & in præsentia illorum ordinata, aut verò possint super eo testari: quod disponsens bona fide retulerit ipsis in scripto coram illis à disponente exhibito, illisque in specie monstrarit ultimæ voluntatis suæ dispositionem super devolutione Bonorum suorum post mortem ipsius fiendam contineri. Et hæc omnia ea lege, ut etiam disponsens pro majori robore, si scribere noverit, Testes autem essentiâ rei sic requirente, dispositionem Testamentariam propriis manibus indispensabiliter subscribant, sigillisque usualibus muniant. Si verò Testamentum fuerit alicui chartæ involutum, illud quoque Disponsens ipse subscribat, & cum appositione sigilli sui roboret: interim & ipsi Testes  
nomi-

nomina sua, & sigilla saltem dorso dispositionis Testamentariæ apponant, proferantque fide Christianâ mediante Testimonium, quod disponens dixerit, in illa charta, uti jam dictum est, ultimam suam voluntatem ratione Bonorum, & rerum, ac jurium suorum post mortem devolvendorum contineri.

Ex quibus præmissis videtur quidem posse constare; quod per ejusmodi solemnitates in ordinandis Testamentis à Jure requisitas fide dignitas Testium debeat intelligi. Verum non dum adhuc constat, quot Testes requirant nostræ Leges ad valorem Testamenti? Nam in hoc Puncto tam scrupulosi fuerunt Juris-Consulti, ut in finiendis Testium numero convenire nequiverint, qui utpotè hic plurium, illic verò pauciorum Testium præsentiam in ordinandis Testamentis requirerent.

Cui quæstioni ut satis fieri possit, notandum: Leges nostras in hoc Puncto circa numerum Testium in Testamentaria dispositione præsentium, simplicitatem Juris Gentium imitari, ita ut, quemadmodum in celebrandis Contractibus vi Legum nostrarum duo Testes omni exceptione majores sufficiunt; non secus in ipsa quoque Testamentaria Dispositione; etiãsi plures Testes

præsentes haud exstiterint. Interim tamen binarium Testium numerum nostræ Leges pro sufficienti, & adæquato agnoscunt; dummodò (uti scribebam) isti duo Testes sint fide digni, tantæque capacitate & dignitate perhibendi testimonii præditi, ut contra illos legitimè excipere, illorumque testimonium debilitare, aut viribus suis imminuere per absolutum nemo possit. Et hæc non eo sensu scripta esse velim, quasi Leges nostræ duobus plures Testes circa dispositionem Testamentariam non admitterent; admittunt enim plures etiam, quàm duos; sed quæritur: Utrum, si duo Testes tantum fuerint præsentibus tempore Testamentariæ dispositionis, sufficiant ad valorem Testamenti? Dicendumque: omnino sufficiunt, & ad hanc solam rationem Testamenti valor nunquam diminuetur; Argumento etiam ex Jure Canonico desumpto, ubi coram duobus Testibus in Parochi præsentia testamentum ordinatum subsistit. In ore enim duorum, aut trium Testium, juxta sacrum Textum, omne verbum, omnisque veritas stabit.

Quoniam verò compertum est, occasione ordinandorum Testamentorum Parentes proprio suo sanguini nonnunquam injuriam fecisse, liberosque è bonis suis exhereditasse;

non absre videtur quæri posse; Utrum possint Parentes de Jure Liberos suos xhæredare? nam, si tenerrimus affectus, & storge Parentum consideretur, aliunde etiam cum expressè dictent Jura, Patrem filio, & filium Patri Naturali Jure, quidquid rerum, & bonorum poterit acquirere, teneri, P. 1. T. 53. ipse etiam Juris-Consultus Paulus asserat; *Quòd ratio Naturalis quasi Lex nobiscum nata, Parentum Hereditatem liberis a ddat, velut Jure naturæ ad debitam successionem eos vocando.*

Papinianus item: Ad Parentum Hæreditatem capeffendam, liberos naturæ simul, & Parentum commune votum vocare; non videtur ipsis Parentibus à lege tanta, & tam ampla facultas concessa esse; cum primis, quia *ly* exnæredare est res odiosa; proinde restringenda juxta Juris Axioma: Favorabilia ampliari, odiosa autem restringi conveniret, ut possint liberos è bonis suis exhæredare.

At verò si ex altera etiam parte rursus consideretur, liberorum nonnullos eò temeritatis aliquando progredi, ut obsequium suum Parentibus, moraliter in infinitum, debitum denegarent, & se se erga Parentes suos ingratos exhiberent: ipsumque ingratitude vitium, debitum naturæ tolleret; his inquam inconsiderationem sumptis: videtur

Paren-



Parentum Authoritatem & facultatem in tali casu posse eoque extendi, ut liberos è bonis suis salva lege, & pietate possint exhæredare; Neque posset in tali casu facta ordinatio pro inofficioso Parentum Testamento haberi, quasi scilicet Parentes non fuissent sanæ mentis, cum ejusmodi dispositiones circa devolutionem bonorum suorum ordinassent. Pro tollendis itaque hisce difficultatibus, & enodanda proposita Quæstione distinguendum videtur inter bona Parentum: vel enim sunt Avitica, vel per se acquisita: si prius: exhæreditatio locum non habet per expressam Patriæ legem *P. 1. T. 52. & 58.* Nam & Sanctus Paulus in Epistola ad Galatas Cap. 4. dicit; Filium eò ipso, quia filius est, etiam esse bonorum Patris sui Hæredem; si autem posterius: omnino licitum, liberumque erit Parentibus liberos suos ex bonis per se acquisitis, præprimis ob vitium ingratitude exhæredare ad mentem legum *P. 1. T. 5. & 57.*

Attendant nihilominus liberi, ne incurrant vitium ingratitude, ob quod Leges eosdem è Parentum Hæreditate exclusos esse volunt; Propter talia enim vitia non solum Paternam & Maternam, verum Cœlestem quoque Hæreditatem filii amissuri erunt: est enim in Decalogo primum Præceptum in promissione: *Honora Patrem tuum, & Matrem*



*trem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dominus Deus dabit tibi.*

Quanquam etiam Leges Patriæ gravissimam Pœnam dictarunt immorigeris Liberris, ut videre est in App. Con. P. 3. T. 48. A. 1. Et hæc de Objecto liberæ Dispositionis.

## CAPUT IV.

*De Possessione.*

**P**ossessionem dicimus, quasi sit pedum positio: altiorem verò ipsius definitionem intricatam fecit varia variorum Juris-Consultorum definitio; sufficiet autem inter alias Definitiones, vel descriptiones dixisse: Possessionem esse, *Detentionem Rei corporalis cum affectione eandem sibi habendi.* Ubi per *detentionem* non debet intelligi duntaxat ille actus, quo mediante Rei Possessæ actualiter semper insisteremus; verum illa detentio hic intelligi debet, quæ est habitualis, ita ut etiam illè possidere dicatur, qui actu Rei non quidem insistit, ei tamen quandoque voluerit, insistere poterit; Quo sensu, & is, qui peregrè profectus est, & qui per alium possidet, rectè videtur possidere, ut habet Keesius in suis commentariis ad Institutiones Justinianas Lib. 4. T. 15. sub num. 59.

Dicitur etiam in definitione *Rei corporalis*; quo significatur, Possessionem aliam esse veram

veram, & propriam, aliam verò impropriam, seu quasi Possessionem: priorem esse Rerum corporalium, ut sunt: Ager, Fœnetum, & similia. posteriorem verò Rerum incorporalium, ut sunt Jura, Actiones, Hæreditas, & Similia, quæ saltem impropriè possidentur.

Possessio porrò: est *justa*, vel *injusta*. Prior est; quæ munitur justò Titulò, & bona fide. Posterior verò, cui tam Titulus, quàm bona fides desunt.

Justum Titulum nuncupamus causam sufficientem, & habilem ad transferendum Dominium, & Possessionem rei; Ejusmodi autem causæ sunt: Donatio, Emptio, Venditio, cæterique omnes Contractus inter Partes bona fide, & juxta præcepta Legum initi. *Bonam autem fidem* dicimus ejusmodi sinceram affectionem Juris, qua firmiter persuademur, Rem, quam possidemus, non esse alienam. Possessio adhuc in *Naturalem*, & *Civilem* distinguitur, *Naturalis* absque *Civili* ea est; cum quis Rem alterius possidet, cujus Rei inter cætera exemplum potest esse in actibus Potentiariis, Clanculariis, & Furtivis. *Civilis* verò est: cum quis Rem suam, & non alterius possidet. Hujus exemplum esse potest in legitima possessione veri alicujus Domini, ac Proprietarii, qui

rem

rem suam vi alicujus immediatae successione,  
aut alterius acquisitionis in Legibus Patriis  
fundatae, manuetet.

Quæritur autem; quomodo acquiratur? quo-  
modo retineatur? aut etiam amittatur Possessio  
Utrum solo animo, aut corpore? vel verò utro-  
que simul? Ad cuius Quæstionis primum mem-  
brum resolvunt Juristæ. Possessionem acqui-  
ri animo, & corpore simul; per corpus hic  
intelligi debet actus corporeus ad animum  
accedens, id est corporalis Rei apprehensio;  
per animum verò denotari voluntatem & af-  
fectionem possidendi; cujus resolutionis veri-  
tas ex ipsa naturali ratione evidens est: tametsi  
enim alicujus rei Possessionem actu ipso apprehendamus, si nihilominus possidendi animus  
& voluntas desit possidere eam dici non pos-  
sumus; nolimus enim Rem illam tali casu in-  
ter nostra Bona haberi; & vicissim, quamvis  
quàm maximè in animo, & voluntate constanti,  
simè proposuissimus rem aliquam nos posside-  
re velle, si tamen naturalis apprehensio non  
acceserit, non possumus pro possessore illius  
rei haberi: Testis erit experientia: si enim vo-  
luntas, & animus sine corporali apprehensione  
Possessorem aliquorum Bonorum efficere pos-  
sent, summa imis, & ima summis confunde-  
rentur; vix etiam esset possibile concupiscen-  
tiam alicujus intra debitos limites continere;  
sed ultra limites exspatiando rem alterius per-  
fas, & nefas quivis aliena-

alienarum rerum cupidus occuparet, & ordinem justitiæ in possidendis Bonis in summum chaos reduceret, unde nolens, volens quis concedere debet: ad acquirendam Possessionem animo simul, & corporis concursu opus esse, ita ut si sit res corpora mobilis, manibus apprehendatur; si verò immobilis, pedibus intretur, aut secundum Juris Patrii dictamen: statutione, & Introductione mediante possessio apprehendatur.

Ad secundum Membrum; quomodo retinenda Possessio; Respondent Juristæ: Eam solò animò etiam absque interventu corporalis actûs retineri posse; quod demonstrant exemplo hominis, è Possessione rei suæ peregrè ituri: ajunt enim; quòd si animo revertendi, & non deserendi Possessionem suam, aliquis peregrè proficiscatur, ipso actu retineri possessionem. Hinc in definitionis expositione rectè dictum videri, duplicem esse detentionem, *actuale* nempe, & *habitualem*. Prior est, prout ibidem dictum est, quando rei nostræ actualiter insistimus: Posterior verò; cum illi, dum volumus, insistere possumus; ita aliquis exongo itinere redux, possessioni rei suæ insistere potest, nisi vi impediatur.

Ad 3<sup>ium</sup>. Membrum: quomodo possessio alicujus rei amittatur? R. illam eo modo



amitti, quo fuit acquisita, id est animo, & corpore; obrationes in primo quæstionis membro declaratas; eadem sunt enim Principia resolventia cum principiis constituentibus, & per quas causas aliqua res originem accipit, per easdem resolvi solet, per Regulam Digestorum: 153. Quæ sic se habet. *Ferè quibuscunque modis obligamur, iisdem liberamur; quibus modis rem aliquam acquirimus, iisdem amittimus; Ut igitur nulla possessio acquiri, nisi animo, & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque concurrit.* Sic igitur naturâ Possessionis intellectâ, & quando verus rei Dominus, ac Proprietarius rem, sive jus suum in re consistens ab aliquo Possessore requirit, præmissa actione reali prætensionem suam experiri debet. Exhibebo itaque hic loci in summo compendio Actionis realis exemplum.

Actor in Judicio proponit: quòd Sempronius fundum ipsius Tusculanum jure proprietatis ad ipsum actorem pertinentem, & in Possessione: T. inclytoque Comitatu T. existentem, habitum, potentia mediante possideret. Ideo petit A. se declarari in Judicio dicti fundi Dominum, ipsumque Sempronium quâ Inctum ad ejusdem restitutionem cum pæna competente, damnique, & fatigii refusione judicialiter compelli, debitæque executioni demandari. Et hæc de Acti-  
one

one reali.

## CAPUT V.

### De Actione Personali.

**A**ctio personalis ea est, quæ fundatur in vero, vel quasi contractu, improprie sic dicto, vel quasi delicto. Verus contractus est Consensus duorum, aut plurium in idem placitum.

Quasi autem Contractus fundatur in tacito consensu, ut v. gr. tacite consentio actui, quem contradicendo impedire debuissim, & potuissim; si tamen impedire neglexero, videor, tacite in ejusmodi actum consensisse: de tali consensu per silentium, & patientiam elicitio sonat jus Patrium Decerti Trip. P. 1. T. 72. *In verbis per usum realem passioni consensisse videtur*, Tacitò etiam consensu introducitur usus iste realis, qui capax est legem scriptam tollere. Decreti Trip. P. 2. T. 2 §. 3. *Quilibet enim Populus potest inducere consuetudinem ad mentem T. 10. prologalis §. 4.*

### De Requisitis Contractuum.

**E**ssentiam Contractuum absolvunt 1. Consensus, 2. solennitas. Consensus verò  
confi-

consistit in intellectu, voluntate, & facultate consentiendi. Intellectu quidem; quia Contrahentibus incumbit nōsse, cum quibus, quam ob causam, qualiterque, & quo fine, & qua de re contractum inire velint.

In voluntate autem: quia clarus, & distinctus intellectus, ac rei conceptus debet movere voluntatem ad contrahendum; ex magna enim luce in intellectu solet sequi magna in voluntate propensio; & hæc voluntas debet esse spontanea, libera, ac ultronea, ut à nullo scilicet extrinseco Principio, vel vi, aut potentiâ, metuque, aut exterrore, vel crassa ignorantia moveatur ad consentiendum. Præterea debet etiam hæc voluntas esse matura, ut scilicet gravi consultatione, sanâque deliberatione super negotio à partibus contrahentibus suscipiendo præhabita, voluntas ad consentiendum seipsam moveat. Porro oportet hanc voluntatem esse legitimam, sive à Legibus approbatam; alioquin nullum unquam juris effectum consequetur: Et vel maximè debet muniri hæc voluntas sincerò agendi proposito, & bona fide, omnium actionum humanarum vitali spiritu, ac anima. Verum adhuc tertio concurrere oportet in hanc rem, potestatem, vel facultatem consentiendi; siquidem id, quod contrahentes non intelligunt, illud velle non creduntur; quod autem

tem intelligunt quidem, at vero voluntas se ipsam ad volendum determinare nolit, tunc partes nihil agunt; tertio autem licet Partem, vel negotium suscipiendum intelligant, velintque, si tamen facultate consentiendi destituantur, tunc nec intellexisse, nec voluisse, sed nequidem potuisse dicendi sunt.

Solemnitas verò Contractuum in genere non est aliud, quam Relatio fide digna Hominum Regionum, qui de modo, Punctisque ac conditionibus inter Partes celebrati Contractus fide mediante, & sub manuum suarum subscriptionibus, sigillorumque impressionibus legitime recognoscunt.

Ex Præmissis requisitis consequitur, illos, qui intellectus, aut voluntatis usu juridicè sumptò destituuntur. Ut sunt: Infantes, pupilli, sub Tutela aliorum existentes, Prodigii item juridicè tales, & simplices, aut furiosi, eò, quòd ob defectum rationis, & iudicii consentire in objectum Contractus non possent, ideo etiam illos de nulla re posse legitime contrahere; sic in Jure nostro, tametsi concessum sit sub Tutela, vel cura existentibus de rebus suis mobilibus ex præscripto Tit. 3. Decr. Trip. Par. 1. disponere; Dispositio tamen illa quæcunque sit, maxime in immobilibus aviticis pro efficaci haberi ideo non potest; quia antequam filii ad perfectam ætatem, Años 24. repræsentantem pervenirent,



omnes suas fassiones Legibus contrarias, aut ipsorum juribus præjudiciosas in illegitima, vel imperfecta ætate inconsultè celebratas ad mentem Legum P. 1. T. 108. in locis Authenticis legitimè retractandi, revocandi, ac annihilandi plenariam habent facultatem.

Deduci prætereà hinc potest, eos, qui in contrahendo præprimis circa substantialia negotii errârunt, vel dolô malô decepti, aut etiam per vim, vel metum ad contrahendum inducti, vel permoti extitissent, ejusmodi Contractum non valere, nullumque Juris effectum sortiri posse: nihil enim consensui magis est contrarium, quàm error; siquidem omnia, quæ animi destinatione agenda veniunt, non nisi vera, & certa scientia perfici possunt, & ideo, qui errant, non videntur consensisse, & ob hoc, quidquid ex errore datum est, repeti potest, & ea, quæ dolô malô, vi, vel metu contra Leges facta sunt, in omni judicio pro irritis, & infectis haberi debent. Lex enim antiquissima in Codice Libr. 1. Tit. 14. Lege 5. hunc casum sic definivit? Quod nullum Pactum, nullam Conventionem, nullumve Contractum inter eos dici posse subsequutum, qui contrahunt, Lege contrahere prohibente, & ea, quæ Lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habeantur, licet Legislator fieri prohibuerit

tantum ; nec specialiter edixerit inutile esse debere , quod factum est ; sed & si quid fuerit subsequutum , ex eo , vel ob id , quod interdicente Lege factum est , illud quoque cassum , atque inutile esse precipimus .

### *De Distinctione Contractuum in Genere.*

**C**ontractus in Jure distinguitur in *Nominatos* , & *Innominatos* . *Nominati* dicuntur , qui nomen & causam in Jure determinatam habent , ut sunt : *Emptio* , *Venditio* , *Donatio* &c. *Innominati* è contra , qui nec nomen , nec causam dandi , vel faciendi habent in Jure determinatam , & hi *Innominati Contractus* sunt quatuor , v. gr. *Do , ut des* ; *Do , ut facias* ; *Facio , ut des* ; *Facio , ut facias* ;

Inter *Contractus Nominatos* , primò hic loci offert se *Mutuum* , quo ex meo tuum , & ex tuo meum fit . Inde enim *mutui Nomen* sumptum .

## CAPUT VI.

### *De Mutuo.*

**D**efinitur , quòd sit *Contractus* , quo *Quantitas aliqua* ea lege alicui datur , ut eadem ipsa reddatur , non quidem in specie ,

cie, sed in Genere; Requirit hic Contractus, ut, is, qui mutuum dat, sit Dominus rei in mutuum datæ, habeatque liberam rerum suarum dispositionem, & ut simul transferatur ipso actu Dominium Mutui in accipientem; ea lege, ut is mutuum in eadem quantitate, tempore in Contractu definito restituat.

## CAPUT VII.

*De Indebito.*

**I**ndebitum est, quod quis per errorem indebitè solvit, & hoc ideò annectitur Mutuo; quia indebiti solutio, est quasi mutui datio, obligaturque is, qui debitum accepit, ad illius restitutionem, non minus, quam qui mutuum accepit. Ubi constiterit indebitè fuisse solutum, & actio, quæ hic locum habet, vocatur *Conditio indebiti*.

Tria sunt ejus requisita; Primò, ut aliquid sit solutum alicui; Secundò: Ut sit indebitum; Tertiò: Ut per errorem, & ignorantiam indebitum factum fuerit: secus qui solvit, donasse dici potest, juxta Regulam: *Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est.*

## CAPUT VIII.

*De Commodato.*

**C**ommodatum est Contractus, quo res gratis utenda alicui datur, ea lege, ut usu finito eadem species restituatur. Is ergo, qui rem suam commodat, dicitur *Commodator*; qui verò accipit *Commodatarius*. Est verò inter Mutuum, & Commodatum differentia.

In Contractu Commodati nec Dominium, nec Possessio transfertur, sed rei tantum usus conceditur.

Prima differentia inter Mutuum, & Commodatum in eo est; quia in Mutuo transfertur Dominium rei in accipientem; at in Commodato usus duntaxat rei transfertur in Commodatarium, manente proprietate, & Possessione apud commodantem.

Secunda: in Mutuo, Casus & periculum rei spectat ad recipientem, tum quia res regulariter suo Domino perit, tum quia Mutui debitor est generis Debitor, quod cum sit intellectuale, passionem non recipit, in Commodato autem secus se res habet; scilicet aut casu res perit, aut per incuriam Commodatarii: si posterius; Damnum re-  
dunda-



dundabit in Commodatarium; si prius; ad Commodantem spectabit. Sunt tamen Casus aliqui, in quibus etiam si casu, & fortuito res pereat, damnum redundabit in Commodatarium, Primò: si res expressè ita fuisset conventa inter partes; Contractus enim ex conventionem legem accipit. Secundò: si Commodatarius finito usu interpellatus non restituit commodatum. Tertio: si culpa Commodatarii intercesserit; veluti, si quis peregrè profecturus commodatum secum abstulerit, & in itinere in manus Latronum inciderit, vel Naufragium passus fuerit, casum omninò præstare tenebitur; perinde etiam, quando rem commodatam per personam minus idoneam Commodanti remittendo, si aliquem casum res commodata passa fuerit, Commodatarius ejusmodi casum præstare obligatur: Damnum enim, quod quis suâ culpâ sentit, sentire non intelligitur, & aliàs sibi debet damnum imputare, eò quòd ipse fuisset causa damni dati. Quæritur itaque in Commodato, quæ, vel qualis culpa præstatur? Ubi observandum: quòd quilibet Contractus vel respicit utriusque contrahentis utilitatem, vel accipientis tantum, vel dantis tantum: si prius, id est, utriusque utilitatem; tunc præstatur dolus, culpa lata, & levis: si accipientis tantum; tunc præstatur culpa etiam levis:

si veró dantis tantum ; tunc non nisi lata culpa præstatur.

## CAPUT IX.

### De Locatione.

**D**efinitur Locatio Contractus, quo vel Personarum opera, vel rei usus, pro aliqua mercede in pecunia numerata consistente præstatur.

Locator est, qui alterum permittit re sua pro mercede uti. Conductor autem, qui re, vel opera alterius pro mercede utitur. Tria sunt essentialia hujus Contractus, Consensus, Merces, res locata. Ubi observandum, quòd Conductor omnia secundum leges conductionis, sive juxta pacta, & conventiona facere debet; *Contractus enim ex conventionem Legem accipiunt*; per Regulam 23. de Reg. Juris.

## CAPUT X.

### De Deposito.

**D**epositum est Contractus, quo res gratis custodienda alicui committitur, ut, quodcumque deponenti placuerit, eadem res restituatur. *Dico, gratis*; Nam si pecunia pro mercede interveniret, tunc esset Locatio,  
Cón-

Conductio : si verò Merces , non in pecunia , sed in alia re interveniret , Contractus innominatus dici posset. Dixi , *custodienda* : hæc enim censetur forma depositi : quo sic præmissio.

Depositarius , apud quem scilicet res deponitur , de dolo , & lata culpa tenetur : Ratio : quia juxta Regulam superius datam. Depositum Deponentis duntaxat utilitatem respicit , & si negligenti rem suam commiserit , sibi , & non alteri debet imputare : Unde si damnum eveniat , illud sentire non intelligitur juxta Regulam Juristarum : evidens est itaque Depositarium ad dolum , & latam culpam præstandam obligari : id est , si dolo , fraude , & ex destinata malitia , vel malitioso proposito Depositarii depositum vel perierit , vel in manum ejus , ad quem de Jure non spectaret , devenerit , Depositum vel in specie , vel inæquivalente reddere restringitur. Si autem Depositarius affirmet depositum illo inscio , & invito , adeoque furtim surreptum esse , tunc Juramentò mediante seipsum expurgare debebit , *Exod. 22. 7. 8. 9. 10. M.*

Juxta præmissa itaque quæritur : si Fur , vel Latro apud me rem alterius fideliter custodiendam , & soli deponenti restituendam deposuerit , intereà verò rei depositæ Domino innotuerit , rem ipsius apud me esse

depositam, cui? Utrum Furi, vel Latroni, aut vero rei Domino teneor Depositum restituere? Summi Juris-Consulti, quorum primus videtur esse Hugo Grotius in aureo opere de Jure belli, & pacis L. 2. C. 10. §. 1. N. 4. Casum hunc sic decidunt. *Latro spolia, quæ mihi abstulit, posuit apud Sejum inscium. De malitia deponentis: queritur, utrum mihi, vel Latroni Sejus restituere debeat? si per se dantem, accipientemque intueamur, hæc est bona fides, ut commissam rem recipiat, is, qui dedit; at verò, si rei æquitas cum omnibus Personis, & Circumstantiis, quæ in hoc negotio concurrunt, consideretur, mihi sunt reddenda, cui scelestissimò factò adempta sunt: & probo hanc esse justitiam, quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrabatur, ab ullius personæ justiore repetitione.*

Quæritur rursus? Utrum Depositarius præter scitum, & voluntatem deponentis re deposita uti possit? Resolvitur, non posse; custodiam enim solum habet sibi commissam, non verò usum rei; alioquin in crimen furti incidet, si rem alterius insciò, & invitò verò Dominò contrectaverit.

Quid verò Juris? si res deposita sit pecunia, eaque sigillò Deponentis munita? sic quoque Depositarius furti crimen committet, si tali pecuniâ depositâ utetur insciò,



& invitô Dominô : ita enim sonat lex communis. 29. ff. Pand. sub Tit. Depositi in Digestis ; *si rem signatam deposuero , & is, penes quem deposui , me invitô contrectaverit , furti actio mihi contra eum competit.* Quid verò Juris , si pecunia deposita non fuerit sigillô munita , licebit Depositario contra voluntatem Domini eam contrectare ? Resolvitur : quòd ne sic quidem licebit , nisi voluntas Deponentis accesserit. Consulatur hac de re Glossa Prologalis. T. 2. Item statuta Almæ Nationis Saxonicæ L. 3. toto T. 5.

## CAPUT XI.

*De Sequestro.*

**S**pecies depositi est Sequestrum , dum res controversa apud tertium eo fine deponitur , ut finitâ lite Victori reddatur. Estque vel *invitum* , vel *voluntarium* ; hoc est , quando Partes in sequestrum consentiunt , illud autem , si res judicialiter sequestro subjiciatur. Videatur de sequestro jam jam citatus Prologi Titulus secundus in annotatis. Item P. 1. T. 29. Hic notatu dignum occurrit , quòd juxta mentem Legum Patriæ nulla causa , & nullus Processus deberet ordinariè à sequestro inchoari. Tam-

etsi autem videatur citatus Decreti Textus *P. 1. T. 29.* Bona absque Hæredum solatio decedentium sequestro submittere, nihilominus illius quoque Textus sensus requirit, ut non nisi causâ cognitâ talia bona sequestro addici possint. Et quidem Fiscus Regius tam benignum se erga Cives Patriæ exhibere solet, ut in casu præsentis, defectu feminis alicujus juxta mentem *App. Con. P. 4. T. 3.* non vi, neque sequestro (nisi fortè in casibus à jure admissis) neque aliter, nisi penes Publicationis Processum agat, & procedat. Præmissa igitur juxta Leges Patrias, & secundùm consuetum stylium in Bonis Deficientium legitimâ publicatione, si nulla intervenerit contradictio, tunc bona publicata ultimi Deficientis immediate, & absque ulteriori processu Fiscus Regius apprehendet. Interveniente autem contradictione, talia bona præ manibus Contradictorum relinquuntur possidenda; & in tali casu Fiscus Regius penes Evocationem extra Dominium Jus suum prosequetur, prout ex præcitato Textu, ut & communi Publicationum stylo hac in parte vim legis habente, jamque ab antiquissimis temporibus auctoritate confirmationis Regiæ in judicariam praxim abeunte manifestissime elucet.

## CAPUT XII.

## De Emptione, &amp; Venditione.

EMPTIO, Venditio est Contractus de re certa pro pretio alteri tradenda solo consensu initus. Essentialia requisita Emptionis sunt, ut partes primo in rem, secundò in pretium consentiant. Hinc est, quòd quam primùm partes in rem, sive mercem, & pretium consenserint, quamvis nec pretium numeratum, nec Arrhæ datæ, neque res emptioni substrata tradita fuerit, hunc contractum perfectè initum omnes Juristæ unanimi consensu asserant; & quidem facto consensu in rem, pretiumque, immediatè ex hoc Contractu nascitur obligatio, ex parte quidem Venditoris, ut rem Emptori tradat; ex parte autem Emptoris, ut aut pretium numeret, aut de eo in termino, quem Partes constituerint, numerando fidem faciat; nam absque constituto pretio nulla Emptio potest fieri. Pretium autem ordinariè debet consistere in pecunia numerata; alias non Emptio, sed Permutatio, aut alius contractus esset. Apparet hinc, quare hic Emptionis, & Venditionis Contractus inter *Consensuales* numeretur; non ideo, quasi possent dari Contractus sine consensu, si quidem consensus sit omnium

Contractuum spiritus vitalis ; sed quia illi Contractus , qui nomine purè consensualium non veniunt , ad sui perfectionem adhuc præter consensum , vel Arrharum solutionem , verborum aliquam solemnitatem , vel alicujus rei interventum requirunt : at verò Emptio , & Venditio , simul atque de re , & pretio conventum est , perfectionem suam consecuta esse censetur ; cum nihil ad sui perfectionem præter præscriptam Contractûs Emptionis formam hic contractus desideret.

Quot sunt ejusmodi Contractus , quorum forma , & perfectio solo consensu absolvitur , plenâque ex iis obligatio , & actio exurgit ? Quatuor : Emptio , Venditio , Locatio , Conductio , Societas , & Mandatum. Emptio enim , & Venditio pro uno Contractu habentur , prout etiam Locatio , & Conductio ; in quibus respectus quidem est alius , atque alius , nihilominus in sua formali ratione conveniunt , unum Contractum constituunt.

Quæritur : nõne ergo Arrharum solutio , Manuum stipulatio , Symposii solemnitas , & traditio constituunt essentiam Contractûs Emptionis ? Respondetur negativè , tametsi enim requisita accedere debeant Contractui per modum subsequentis accessorii , nihilominus ad essentiam dicti



Contractus non pertinent, quia Definitionem Contractus Emptionis, Venditionis, non ingrediuntur; verum positâ essentiâ Contractus Emptionis; quam consensus Partium in rem, & pretium absolvunt, reliqua requisita præsupponunt, & subsequuntur Contractum Emptionis; cum enim *principalis causa, vel essentia rei rectè se habet, tunc & ea, quæ subsequuntur, subsistent,* juxta Regulam Juris. 178. in Digestis; quia etiam alioquin communi omnium Juristarum consensu accessoria non constituunt, sed sequuntur suum principale: Decretum Trip. P. 2. T. 52.

Sed quid dicendum de Traditione; nonne ingreditur Traditio definitionem Contractus Emptionis? cum absque traditione rerum Dominia non soleant in alium transferri, juxta Axioma Juristar. *Traditionibus, & non nudis pactis rerum Dominia transferuntur?* R. Contractum Emptionis non esse nudum pactum, inde constat; quia lex illi assistit ad producendam obligationem, & porrò citatum Axioma Juris de illis rebus loquitur, quæ sine interventu rei, vel traditione perfici non possunt, ut sunt Mutuum, Commodatum, Pignus &c. Siquidem ex his nisi traditio rei intervenerit, nulla subsequitur obligatio, vel inde consequens actio; unde est, quod isti Contra-

ctus, reales nuncupentur, adeoque rem ipsam tradi oportet, antequam in iis, vel ex iis nascatur obligatio; & sic traditio non ad perfectionem, sed ad implementum Contractus Emptionis, Venditionis dici potest.

Tametsi autem ex præmissis satis clarè possit intelligi Contractus Venditionis, ut tamen præprimis ratione abalienationis Bonorum immobilium Aviticorum, Idea huius Contractus clarior reddatur, desumamus definitionem ex Jure Patrio: est itaque venditio Jurium, seu Bonorum immobilium Aviticorum actus, quo Jus, seu Dominium, vel possessionem rei nostræ pro certo pretio in alium transferimus; qui actus, si eo fine celebretur, ut in perpetuum duret, vocatur *Venditio perennalis*: si autem ad certum duntaxat tempus instituat, & quidem pecunia numerata interveniente, *Impignoratio*, vel verò Bonorum *Inhypothecatio* dici consuevit.

Perennalis Venditio est Juris proprietarii, seu Avitici, seu verò acquisitii cum actuali usum & fructuum perceptione in Emptorem translatio eo nimirum fine, ut recipiens, vel Emptor, ejusque Hæredes, & legitimi in tali translato jure successores eo ex intentione partium Contrahentium in perpetuum uti, ac frui valeant. Potest etiam dici, translatio pleni Dominii in alium;

fiunt; dum scilicet tam proprietates bonorum, siue directum Dominium dictum perennali jure in Emptorem transfertur.

Instituitur hæc Venditio aliquando cum, aliquando sine clausula. *Nullum jus, nullamque juris, aut Domini proprietatem pro venditore, ejusque Posteris reservante.*

Quid operatur hæc Clausula, si inferatur? In priori casu, si etiam Recipiens, vel Emptor, aut Acquirens in semine deficeret, ipsiusque Bona caducitati obnoxia fierent, nunquam tamen in transferentem, vel abalienantem, ejusque Hæredes talia Bona de jure devolvi possent, sed Fisco Regio applicari deberent. In posteriore autem casu etiam si labente tempore Bona penes talem Contractum abalienata ad caducitatem devenire contingeret, tunc in abalienantem, vel ejus Hæredes successio eorundem Bonorum devolveretur ad mentem Legum Patriæ, ut est in *Tr. Dec. P. 1. T. 69.*

Tribus potissimum modis hæc Venditio instituitur; aliquando scilicet simpliciter, interdum ob aliquam causam, nonnunquam verò ex summa necessitate. Simplex Venditio nullum producit effectum juris, sed simpliciter annihilari poterit; ob causam autem legitimam instituta abalienatio, si fiat ex aviticis, nonnullorum opinio est, illam non posse impugnari; eò, quòd facta sit  
ob

ob causam legitimam in Codice Legum Patriæ Trip. P. 1. T. 59. §. Qui incipit: *Secundo modo rationabiliter*. expressam, & quoniam tali abalienationi Lex ipsa Patriæ assisteret, ideo in iudicio semper subsisteret; aliorum verò opinio tenet, talem abalienationem esse revocabilem, cum sit contraria legi Decret. Tripar. P. 1. T. 58. ubi expresse ait Jus Patrium: non posse Bona Avitica abalienari in præjudicium successorum, quem textum Alii iterum sic interpretantur, quòd citatus Textus P. 1. T. 58. innueret, Bona Avitica non posse simpliciter quidem abalienari; verum ubi iusta, & legitima abalienationis causa subesset, ibi non esse simplicem abalienationem.

Plurimum tamen Juristarum opinio evicit, fassioni, vel abalienationi Bonorum Aviticorum posse contradici, eamque revocari licere; quanquam, ut ejusmodi fassio, vel abalienatio majoris esset firmitatis, Fatentes, vel abalienantes onera etiam Hæredum, & successorum suorum folerent in similibus fassionum, vel abalienationum casibus in se se assumere: quæ assumptio oneris iterum dispescitur in simplicem Rationabilem, & Decretalem. Prima innititur abalienationi simplici adeoque in iudicio vim nullam habet. secunda quoque de districto jure est revocabilis, nisi fortè talis actus adæquatè  
sup-



suppleret defectum ex tali Bonorum Aviticorum immobilium abalienatione enascentem. Tertia autem tanti valoris reputaretur, ut, tametsi fatens ultima, & defectui feminis approximans persona esset, nihilominus nihil in Contrarium valente quorumcunque contradictione etiam absque consensu Regio, Decretalis ejusmodi fassio, & abalienatio, utut perennali jure instituta perpetuam vim in judicio obtinere soleret.

*P. 1. T. 59.*

Quæritur: utrum ipsemet Fatens, vel Abalienans possit propriam fassionem, propriumque Contractum revocare? Videtur liberè id posse fieri, si abalienans tempore perennalis abalienationis Bonorum Aviticorum adhuc imperfectæ ætatis fuerit; in tali enim ætate inconsultè institutam quamlibet abalienationem posse casu in præscripto penes Legitimam retractationem revocari manifestè docet Decr. Trip. *P. 1. T. 128.*

Sed quòd perfectæ ætatis abalienans, aut venditor possit propriam fassionem, propriumque Contractum revocare, ac penes aliquam solemnem protestationem, aut contradictionem annihilare; hoc est, quod in jure vix admittitur, ob solidissimas rationes; Primò: quia Contractus quidem ab initio sunt liberæ voluntatis; exposit autem summæ necessitatis; quod enim inter vivos semel  
pla-

placuit, aliàs displicere non potest. Ita nimirum, ut aliqua partium contrahentium nolente, pars altera ab inito Contractu recedere valeret, Contractus enim isti actui legem dedit. Secundò : quia nihil est humanæ fidei ita conveniens, quàm ut ea, quæ semel placuerant, custodiantur. Dixit Cicero : *Fundamentum Justitiæ esse fidem* ; id est, dictorum, Conventorùmque constantiam, & veritatem. Tertio : quia jus Patrium Venditorem, & abalienantem, si ipsemet rem perennali Jure abalienatam reacquirere velit, ab Actoratûs munere amovet, & absolute omnem actionem denegat, Decr. Trip. P. I. T. 77.

His tamen non obstantibus, si abalienans tempestivè, & manifestè edoceat, se, aut per errorem, aut verò vi, vel metu, in constantem quoque virum cadente, aut fraude, & dolò fuisse inducitur ad contrahendum, adeoque fundamentum vel principium dans validitatem actui, id est, verum, ac liberum consensum isti actui, vel contractui defuisse, quin ipsemet quoque fatens possit in tali casu sui in integrum restitutionem petere, & implorare, nihil videtur posse obstare : si verò abalienans casu in præmissis in proba defecerit, liberùmque, & spontaneum consensum tali actui ipsum adhibuisse constiterit, ab agendo submovebitur.

Venit autem considerandum; quòd, cum res, & Bona Avitica non solum abalienantis fuerint, sed in iis ipsi quoque Hæredes, legitimique successores, jus, & successionem habeant; & id, quod nostrum est, per *Axioma Juris sine facto nostro in alium de jure transferri non possit*. Atque ob hanc causam in abalienationibus immobilium Bonorum præprimis Aviticorum jus Hæredum subversaretur, proinde habent jus, & facultatem hæredes, ac legitimi successores ejusmodi perennalibus abalienationibus, ac aliis quibuscunque, & sub quovis titulo celebratis passionibus, ipsorum Juribus, & successioni præjudiciosis, virtute solemnis protestationis contradicere, illasque penes legitimum contradictionis, vel retractationis remedium, dum, & quando ad Judicium contradictorium devenerint, enervare: Hæc enim beneficia juris eum in finem hæredibus, & legitimis quorumcunque Bona Avitica contra Jura, & Leges abalienantium successoribus Leges indulserunt, ut iis suis in locis legitimè semper uti valeant, prout tam ex Jure Patrio, quàm etiam publico-juridicarum expeditionum stylo, ut & continua, ac viva Judiciorum Tabularium æquè, ac inferiorum Sedriarum praxi manifestum est.

Oportet autem præscriptis Juris remediis tempestivè uti: sed Quid tempestivè alicui

Contractui , vel fassioni contradicere? Juristæ nonnulli , ut & Kitioncius in Resolutione dubietatis. 29. ly *tempestivè* restringunt ad unius Anni spatium ab inito Contractu , vel celebrata fassione computandum. Quòd si verò intra unius Anni spatium ab alienantis Hæredibus , aut successoribus Fassionem , vel Contractum ipsorum Juribus præjudiciosum , celebratum , aut initum fuisse non innotesceret , tunc non prius , nisi posteaquam ejusmodi casus in notitiam Hæredum devenerit , habebunt facultatem , si voluerint , contradicendi , ut habet Textus Juris Decr. Trip. P. 2. T. 17. in verbis : *Postquam fassionem aliquam movò antelatò factam intellexerint , mox eidem contradicere studeant ; interim quò citius fuerit tali negotio contradictum post celebratam fassionem , eò erit consultius , & juribus contradicentis magis proficuum.*

Notari tamen debet , quòd intra peremptoriæ præscriptionis , 32. annos complectentis , tempus , vel terminum , à legibus hac in parte præfixum , legitima protestatio , Contradictio , & Prohibitio , prout etiam litis motio , in locis Authenticis juxta leges , & consuetum juridicum , stylum expedita ratione ab alienationis , vel Bonorum Aviticorum , locum , & vim habere debent ut sonat jus Patrium in Tripartito P. 1. T. 79.



Legitimas autem protestationes, & Contradictiones ratione illegitimæ abalienationis jurium Aviticorum non solum in locis majoris authenticæ, ut sunt: Cancellariæ Principatus, Officia Protho-Notariatûs, Capitulum item, ac Conventus; verum in ipsis quoque inferioribus Comitatum nempe, ac Sedium Siculicalium, ac Saxonicalium, Civitatûmque sedriis posse validè, & cum effectu juris institui, expeditissimi juris est, cum hac tamen differentia, quòd remedia protestationum, contradictionum, & Retractionum in locis majoris authenticæ, & fide dignitatis expedita, sunt universalia, eò quòd illarum virtus, & valor ad totum Principatum, Partesque eidem annexas diffusa intelligitur; in inferioribus autem sedriis celebrata ultrà jurisdictionem Comitatum, Sedium, vel Civitatum vires suas non exerunt.

Cùm autem præprimis illi casus admittant ordinariè Contractionem, quibus dolus malus, vel vis, metus, aut error dedit causam, quæritur: quando potest dici, aut unde potest sciri, quòd alicui Contractui dolus, vel fraus dederit Causam? unde item? quando dolus, vel fraus incidit in Contractum? quando dolus malus, vel fraus, aut vis, metus, & error versantur circa substantiam? ut si quis venderet vitrum pro margarita;

&

& hic Contractus per rei naturam fit irritus; quia Emptor in vitrum non consensit: dicitur verò dolus incidere in Contractum, & versari circa accidentia, quando aliquis decipitur circa præstantiam, ac qualitates rei venditæ, ut si vitia, quæ revelari oportebat, celentur, qui quidem Contractus pro arbitrio prudentum judicum interdum irritantur; damnum verò; quod alicui partium ex tali Contractu evenit, perpetua lege refarciendum erit.

Cum autem in præmissis sæpè facta sit mentio doli, & fraudis, culpæ item, ut & casûs fortuito evenientis, nunc venit aliquid dicendum de istis Terminis, quid sibi velint, & apud Juristas, quo sensu usurpantur? & quando debeant præstari. Dolum itaque malum, sive fraudem Juristæ describunt, *quòd sit Calliditas, fallacia, aut machinatio ad alterum decipiendum, & fallendum adhibita.* Quotiescunque igitur de industria, & consulto id agitur, ut alter deceptus lædatur, toties dolus malus committitur.

Culpam in genere describunt: quòd sit inertia, sive desidia, qua quis in re aliena facit, quod fieri non deberet, vel negligit, quod fieri oporteret; & quidem hæc culpa habet suos gradus: alia enim est lata culpa, quæ est crassa, & supina dicitur. Committitur autem, quando aliquis eam diligentiam

non adhibet rebus alienis, quam rei natura desiderat, ut dum quis id non intelligit, quod omnes homines sanæ mentis intelligunt; ut si quis rem commodatam relinqueret in foro publico, & inde surriperetur; notandum est, hanc latam culpam in omnibus rebus circa pecuniariam multam versantibus, dolo æquiparari, non item in delictis.

Culpa levis est ommissio illius diligentia, quam homines diligentes adhibere solent circa curam rerum alienarum; ut si quis magni pretii depositum in cubiculo relinqueret non obserata cubiculi Januâ, & inde surreptum iri contingeret.

Culpa levissima est ommissio exactissimæ diligentia, quando quis rem alienam eâ sollicitudine non curat, qua diligentissimus quisque Pater-Familias res suas curasset; veluti si quis passus est rem alienam curæ ipsius commissam à furibus auferri, servorum diligentia confusus; cum per sedulam diligentiam tale damnum evitare potuisset.

Casus in Jure est vel simplex, qui nullâ humanâ Providentiâ prævideri, & evitari potest, ut est naufragium; hostium, aut prædonum incursus, aquarum vehementia, & similia. Mixtus autem casus est, cui admiscetur saltem aliqua culpa, vel negligentia: dicitur nativâ lingvâ: *Vigyáztatlan-ságnak vétke.*

De priori casu videtur loqui sacer  
Textus Numeror. 35. §. 22. 23. 24.

Sed quid est in Jure præstare dolum ,  
culpam , aut casum fortuitum ? Non est  
sanè sensus is in jure , ut aliquis dolum ,  
culpam , aut casum licite admittere posset,  
vel deberet , sed ut damnum , quod ex do-  
lo , aut culpa lata , vel levi provenit ,  
refarciatur juxta proportionem debiti. Nam  
levissima culpa casui ut plurimum fortuito,  
æquiparatur , & ideo casum fortuitum ,  
& culpam levissimam ordinariè nemo præ-  
stat. Sed quinam Contractus dolum , &  
culpam recipiunt ? Quamvis hac de re in  
præmissis dictum esset , pro clariori tamen  
conceptu ex consideratione communis legis  
hoc ipsum unicuique patere potest , quæ in  
Digestis Lege : 23. de Regulis Juris sic se  
habet : *Contractus quidam dolum malum dun-  
taxat recipiunt , quidam , & dolum , & cul-  
pam ; dolum tantum Depositum , & Precari-  
um , Dolum , & culpam , Mandatum , Com-  
modatum , Venditum , pignori acceptum ; Lo-  
catum , item Dotis datio , Tutelæ , negotia  
gesta ; in his quidem Societas , & rerum com-  
munio , & dolum , culpam recipit , Sed hæc  
ita ; nisi quid nominatim convenit ; nam hoc  
servabitur , quod initio convenit ; legem enim  
Contractus dedit excepto eo : quòd Juris-  
Consulti dicant , non valere Contractum , si*



convenerit, ne dolus præstetur; hoc enim bonæ fidei iudicio contrarium est; animalium verò casus, mortem, quæ sine culpa accidunt, ut Rapinæ, tumultus, incendia, aquarum vehementia, & Prædonum incursus, à nullo præstantur.

Cum autem Contractuum bona fides, & sinceritas non tantum dolum malum, sed & vim, metum, errorem, ignorantiam, imperitiâque aversetur, ideo hic loci de his etiam aliquid dicendum. Est itaque vis major rei impetus, qui repelli non potest, per legem 2. Pandectarum sub Rubrica; quòd metus causa.

Metus est instantis, vel futuri periculi causa, mentis trepidatio, per legem 1. Pandectarum; quòd metus causa. estque justus, & vanus per leges: *stam.* & *stam.* Pandectarum; quòd metus causa.

Justus est, qui in quemvis constantem cadere potest, & hic excusat; vani autem timoris nulla est excusatio.

De vi, & metu edixit Prætor, eum non rati habiturum, quæ vi, aut metu mediante gesta essent; cum nihil esset consensui tam contrarium, quàm vis, & metus.

Ignorantia propriè dicta est, cum quis nullam rerum notitiam habet; estque vel *Juris*, quæ tunc contingit, quando nescitur id, quod in jure consistit, & hæc ignorantia, non nisi in jure quasi privilegiatas Personas,

utpotè: Mulierem, Militem, Rusticum, & Minorem videtur excusare; quibus non quidem simpliciter, sed secundum quid jura ignorare licitum censetur; Milites enim armorum usum potius, quàm jura didicisse præsumuntur: Rustici autem aratrum; Mulieres verò colum tractasse intelliguntur *Lege 1. & 9. Pandectarum. De juris, & facti ignorantia.*

*Facti* ignorantia consistit in facto, quod si sit alterius, solet excusare; cum enim infinitæ prorsus sint facti alieni circumstantiæ, non potest supponi, ut omnes illas aliquis scire possit; proprii autem facti ignorantia rarò excusat.

Error in jure est, quando intellectus falsum pro vero apprehendit, qui dicitur interdum *vincibilis*, quando aliquis adhibita summa attentione debitâ diligentiam præcavere poterat, ne in eum incideret; *Invincibilis* autem est è contra, quando quis adhibetâ etiam omni diligentiam, quam fert communis vitæ ratio, illum evitare non possit. De errante affirmant *Leges*, quòd illius consensus sit nullus *Lege 15. Pandectarum. De Jurisdictione Lege 2. ff. de Judio.* Semper enim impedit consensum; præprimis si versetur error circa formalia *Objecti.*

Imperitia quoque culpæ annumeratur per legem

legem 132. ff. de Regulis Juris ; quando nimirum aliquis professionis suæ ignarus, rem sibi commissam, & functionem pravè, & cum damno, ac præjudicio tertii administrat ; ut, dum Judex litigantibus, medicus ægrotis ex imperitia suæ professionis malè consulunt. Et hæc de impedimentis Liberatorum consensuum, ad formalem Contractuum rationem per rei essentiam requiri solitorum.

### CAPUT XIII.

*De Admonitione in quavis Possessionaria abalienatione necessario præmittenda.*

**H**Æc admonitio est legitima insinuatio ad Hæredes bona abalienantis, legitimòsque successores eum in finem institui solita, ut, si voluerint ex fundamento successionis, & inde subsecutæ præemptionis Bona abalienationi substrata, præ omnibus aliis ad se recipere valeant. Decret. Trip. P. 1. T. 60. §. 2. in verbis : *Et ideo quælibet Possessionaria venditio.* Quæritur utrum Filix debeant admoneri in casu, quo bona utrumque sexum non concernerent ? affirmatur ; quia in eo etiam casu præ omnibus aliis extraneis, & vicinis agere, & Bona abalienata ad se recipere possunt, dum, &

quando scilicet ipsi Hæredes, & successores legitimi talia Bona apprehendere noluerint: tunc enim filia gaudebunt Privilegio præemptionis ex mente præcitati Tituli P. 1. T. 60.

Quid operatur in Jure *tempestivè & legitimè* præmissa admonitio? ex parte quidem abalienantium tantam vim sortitur tempestitiva admonitio, ut, quamvis de Jure Bona Avitica abalienare non sit licitum, nihilominus, si præinsinuata admonitione ejusmodi Bona hæredes, ac successores ad se se recipere noluerint, hoc ipso ipsæ Leges facultatem videntur indulgisse, ut etiam in extraneos talia Bona transferri possint virtute præcitati Textûs Juris P. 1, T. 60. §. qui incipit, *Ubi autem admonitio prædeclaratâ in verbis: Nam & venditores Bonorum suorum non sunt adeo coërcendi &c.*

Ex parte autem Hæredum, ac successorum, ubi tempestivè, & legitimè admoniti Bona ipsorum successioni obnoxia, ad se recipere abnuerint, duplici demum onere gravabuntur: primò, quia brevi processu agere. Secundò: de quantitate summæ pecuniæ, abalienationi bonorum investitæ, tametsi valorem bonorum excedentis, contendere illis permittetur, ut docet toties memoratus Juris Te. P. 1, T. 60.



Quid si legitima admonitio fuerit neglecta?

In tali casu Hæredes, & successores bonorum in unico termino octavali bona cuiuscunque extraneo abalienata habebunt Jus ad se recipiendi; imò & contra ipsam summam, hujusmodi Bonis investitam, si condignum eorum valorem excederet, poterunt contendere, ut est in *Tex. ejusdem Juris P. 1. T. 60. §. 3.* qui incipit. *Si verò venditor admonitionem præmissam facere recusabit.*

Quæritur etiam vicinis, & Commethaneis hoc in casu quid Juris competit?

Isti habent jus præemptionis præ aliis extraneis, id est, in bonis abalienationi submissis, successionem non habentibus, exceptis feminei sexûs hominibus, ut docet idem *Textus Decret. Trip. P. 1, T. 60.*

### *De Evictione.*

**Q**uid sit evictio docet Jus Patriarum *Decret. Trip. P. 1. T. 74. 75. 76. 77.* ubi præcipuè illud erit notandum, quòd duntaxat contra legitimos impetitores, non item contra eos, qui per vim, aut violentiam agerent, tenetur abalienans Emptorem, ejusque Posteriores in possessione Bonorum abalienatorum defendere. Secundò;

ipsi Emptores, ubi per aliquem legitimè fuerint impetiti, tempestivè tenebuntur abalienantem, aut ejus successores pro Defensione Causæ admonere; nam si post decisionem causæ, & non prius fecerint admonitionem, tunc Evictor non obligabitur ad evincendum, ut habet Textus Juris modò citatus *P. 1. T. 75.* Notetur etiam, quòd is, qui in judicio ad Evictorem petet exmitti ad meritum, & substantiam causæ tunc vertentis, ante exmissionem ad meritum, ne progrediatur, sed omne meritum reservet Evictori, ad mentem *App. Const. P. 4. T. 1. A. 26.* Alioquin Evictor ab onere evictionis, ipsi incumbente, absolvetur. Præterea, qui ad Evictorem petet exmitti, instituat solemnem protestationem super eo: quòd si Evictor ipsum evincere, vel noluerit, vel non poterit, in tali casu saluum maneat ipsi Jus, seipsum, & Jura sua, in controversiam sumpta, contra impetitionem legitimè defendere.

Quæritur hic loci, utrùm possit abalienans, aut etiam utrùm teneatur de jure Emptorem, ejusque successores in possessione abalienatorum Bonorum Aviticorum contra veros Hæredes, vel legitimos successores evincere?

Hoc ipsum disquiri permittitur; vix enim potest fieri, ut contra verum Hæredem

redem, & legitimum successorem aliquis in possessione Bonorum Aviticorum in præjudicium legum, & ipsorum successio- nis abalienatorum possit persistere, nisi forte talis abalienatio in casu Decretali, aut verò legitimè initò concambiò funda- retur.

Emptionis, Venditionis species est jus quoque Retractûs, sive pactum protimis- cos: cujus vis ea est, ut venditor, vel ejus Hæredes rem venditam post decur- sum temporis, vel à Lege, vel à par- tibus definiti ab Emptore, aut Hæredi- bus ipsius rehabere, aut retrahere valeant, secus pœnam à legibus, vel verò partium consensu dictatam, incurrent, & sustine- bunt; Jure quidem Patrio tam acquisita, quàm etiam Avitica Bona, nisi perem- ptoria præscriptione actio perimatur, pe- nes superius attacta legitima Juris remedia indubitati successores quovis tempore me- diante legitima actione rehabendi, & ad se retrahendi facultate gaudent, Vix est enim, ut jus sanguinis aliquo positivo jure ordinariè, & legitimè dirimi, vel peri- mi possit, Grave enim esset, ut omnia jura clamant, si sanguis suò competen- te debitò frustraretur, & Bona Avi- tica abalienata ad primævum successionis jus reverti non possent.

Quæritur ? utrum possit aliqua res jure perennali semel abalienata, secundariò eodem jure perennali abalienari, stante adhuc priori abalienatione, & per leges Patrias non dum enervata, vel annihilata ? & si id contingat, cui ex duobus Emptoribus res empta debebit addici ?

Res est per se clara, quòd ipsa abalienatio perennali jure celebrata, nisi forte prius eadem per leges evertatur, id est, priori abalinatione salvâ permanente, secundariò celebrari ratione unius, ejusdemque rei, & quidem, ut supponitur, jure perennali non potest. Ratio hujus asserti fundatur in Axiomate illo : *Nemo dat, quod non habet.* & nemo in alium plus juris transferre potest, quàm ipse habet. Ex quo enim venditor, vel abalienans mediante semel celebrata perennali abalienatione totum, & omne jus suum, quod in abalienata re habuit, in alium transtulisset, hoc ipso à venditore, vel abalienante omnis ulterior abalienandi facultas abiit, transiitque, & transfusa est in emptorem, & ideo Venditor rem, quam amplius non habet, & salvâ priore venditione nec habere potest, id est, ipsum nihilum, quod nullas habet proprietates, absolute vendere non potest. Ità hoc dubium resol-



vente Jure Patrio Compilatar. Const.  
P. 4. T. 12. A. 1.

## CAPUT XIV.

*De Juribus Impignoratitiis.*

**P**RO quorum notitia inquirendum in naturam pignoris : est autem Pignus res à Debitore Creditori obligata, & tradita in rei creditæ restitutionem, sive perfolutionis securitatem. Nonnulli volunt distinguere inter Hypothecam, & Pignus; quòd illa esset immobilium, hoc verò rerum mobilium; sed jam sonò duntaxat, & non secus à se invicem distingui dignoscuntur. Prout itaque impræmissis dictum est, abalienationem interdum eo fine institui, ut ex intentione contrahentium in perpetuum dureret; nonnunquam autem, ut ad certum duntaxat tempus instituat. Nunc de posteriori agimus, quæ describi potest: Translatio utilis Domini, vel possessionis, cum perceptione omnium fructuum, & usum pro certo pretio in Emptorem, eum in finem, ut, dum, & quando summa impignoratitia persolvetur, eadem res abalienanti, vel ejusdem Hæredibus, aut consanguineis, qui ad Bona abalienata jus successionis habuerit, in specie restituatur.

Sicut autem Debitor debet creditori totam summam, pignori investitam, reddere, non secus etiam ipse Creditor obligatur Bona impignorata in specie restituere, damnūque, medio tempore rei impignoratæ illatum, vero Domino refarcire: summus ergo est abusus Bona, in Hypothecam obligata, cum deterioratione, & diminutione priori Domino restituere, constat enim interdum aliquot populosas sessiones inhypothecatas priori Domino vix non desertas esse restitutas, pecuniâ nihilominus impignoratiâ persolutâ.

Occurrit in jure duplicis Pignoris notio, quòd scilicet aliud sit *sterile*, aliud autem *fructuosum*; huic adjici solet pactum, *Anticristos* dictum, cujus effectus est, ut creditor loco usuræ fructus illius pignoris percipiat, usque dum ipsius pecunia persoluta fuerit. Sterili autem, sive fructus non proferenti Pignori adjicitur *lex commissoria*, cujus vis ea esse solet, ut, si debitor intra certum tempus non solverit, pignus cedat Creditori; Nunc quæritur, quid sit juris in hisce duobus Pignoris casibus.

Disputat Verböczius *Partis I. T. 81.* contra pactum *Anticristos*: quò mediante quispiam bonorum impignoratorum utilitates, ususque, & fructus percipiat, illasque in  
for-

fortem non computet, sed præterea capitalem quoque summam repetere, & rehabere cupiat; rebus enim inhypothecatis tali modo uti, esset usurariæ pravitatis reum esse; asserit itaque Verbóczius quòd medio tempore percepti fructus de jure, & ex æquitate in fortem venirent computandi, & ex forte, vel Capitali summa deducendi, & sic demum bona inhypothecata absque periculo animarum licitè possent possideri, deductis ex capitali massa necessariis expensis, quas etiam directus Dominus in conservationem bonorum suorum probabiliter insumpsisset.

Sequuntur alii quoque hanc sententiam argumentò sacri Textûs *Luc. 6. c. 5. 4. 34. 35.* videtur itaque sententia Verbóczii Juri Divino consentanea *Deuterono. 23. 5. 19. 20.* ubi dicitur: *Non mutuabis fratri tuo pecuniam, non fruges, neque aliam quamlibet rem ad usuram. Imò fratri tuo id, quo indiget, absque usura commodabis, ut benedicat tibi Dominus Deus in omni opere tuo.* Proximè ad hanc sententiam videntur accedere, qui non quidem omnem usuram absolute tollunt, sed primò illam, quæ exigitur, & quali extorquetur ab egeno, vel persona miserabili, quæ sustentationis liberorum suorum, ut & sui ipsius causâ mutuum petit, ità ut prohibitio petendæ usuræ funde-

tur in qualitate, & conditione personæ mutuum petentis. *Exod. 22. ψ. 25. Levit. 25. ψ. 35. Prov. 28. ψ. 8. Ezech. 18. ψ. 17.*

Secundò illam, quæ dicitur esse *mordax*; quæque cum summo rigore, & proximi damno, exigitur; talis enim usura charitati proximi videtur directè repugnare juxta allegatum sacrum Textum *Luc. 6. ψ. 34. & 35.*

Juvabit itaque in mutuò collocanda pecunia æquitatis, & charitatis regulam observâsse, ut scilicet aut nihil, aut quisque tantum duntaxat, & non plus pro usura à proximo suo accipiat, quantum ipse bonæ fide vellet in tali necessitatis casu à se accipi: caveat itaque, qui pecuniam suam mutuò elocare velit, ne ipsi possit meritò applicari querela, quæ est apud sacrum Vatem *Jeremiam Cap. 15. ψ. 10.* Quod verò attinet Legem *Commissoriam* præallegatam, universa jura videntur illam improbare.

Apparet hinc *Anatocismum*, id est, usurarum usuram, quando nimirum usura sortis, vel capitali summæ conjuncta, alias usuras parit, omni jure esse absolutè illicitum.

Jam videndum, quid debeat observari in Processu circa Relutionem bonorum impignoratitiorum; & quidem is, qui ad bona in hypothecata jus habere prætendit, suamque



que competentiam, & activitatem eatenus edocere poterit, admoneri curet Possessorem talium bonorum, ut levatâ summâ impignoratiâ eadem bona restituat: & hæc admonitio debet fieri, si Possessor reperiri poterit personaliter, tam juxta Legem Decret. Tripart. P. 2. T. 24. quàm etiam continuam Judiciorum praxim: verùm in casu, quò pecunia non levabitur, & ob non levatam pecuniam, Bonorumque impignoratorum non restitutionem, in Sedriis Comitatum, & Sedium Siculicalium, Processus Citationis; in Tabula verò Evocationis admonitionem subsequetur: hunc Processum sive citationis, sive evocationis non licebit personaliter instituisse, sed debet fieri ex bonis talia bona possidentis in illo Comitatu, vel Sede existentibus, ubi bona in hypothecata extiterint, & quidem sub pœna Homagii ad mentem Juris Trip. P. 2. T. 24.

Cui etiam ipsa continua Judiciorum Praxis adstipulatur.

Quòd si autem admonitio, ut & Citatio, & Evocatio in hoc casu legitime fuerint præmissa, non obstante admonitione extra figuram Juris faciâ, post ipsam Citationem, aut evocationem, dum, & quando causa superinde mota

levabitur, in foro contradictorio, & in figura judicii adhuc oportebit Possessorem super levatione summæ impignoratiæ in Sedriis quidem Comitatum, per V - Judlium, in Tabula autem medio Juratorum scribarum, & Notariorum admoneri facere, juxta dictamen App. Const. P. 4. T. 7. Art. 2. in verbis: *Akkoris meg kinalvan a' zaloggal*: & si Possessor summam impignoratiæ nec tunc quidem levaverit, neque bona actionata restituerit, amplius nulla admonitione erit opus; verum ex post servatis de jure servandis procedendum ad amissionem totius summæ impignoratiæ, ut habet jus Patrium in præcitato juris Textu, Decr. Trip. P. 2. T. 24.

## CAPUT XV.

### De Mandato.

**M**andatum est Contractus solô consensu initus, quo negotium alicui gratis gerendum committitur, & suscipitur: contrahi potest, vel expressis verbis, veluti *volo, rogo, mando.* vel tacite verb. grat. per patientiam, aut ratihabitionem; cum enim aliquis alicui actui posset contradicere, & non contradicit, sed

sed tacet, tunc censetur consentire, & rem gestam ratihabere. Præterea Mandatum, & ad certum tempus, & sub conditione fieri potest.

Ad quid potissimum Mandatarius obligatur?

Primò: ut susceptum à se mandatum summa fide, curâ, & diligentia impleat, & exequatur: Nam suscipere quidem hoc mandatum est voluntatis; consummare autem necessitatis.

2dò. Ut non excedat fines mandati: nam si Mandatarius fines, vel formam mandati exceßerit, tunc non id, quod ipsi mandatum fuit, verum aliud quid fecisse dici debet, ac proinde sibi debet imputare, si id, quod actum, vel gestum fuit, Mandans ratum, atque firmum non habuerit.

Quibus modis solvitur Mandatum?

Revocatione mandantis: stat enim in arbitrio Mandantis, Mandatarium ob causam justam, & rationabilem, maximè, ubi fines, & formam mandati exceßerit, revocare: excedendo enim fines mandati, non id agit, quod ipsi fuerat commissum, atque adeò illud pro legitimo, præprimis in præjudicium jurium suorum, Mandans acceptare non tenetur.

3<sup>ti</sup>o. Renunciatione Mandatarii: tametsi enim Mandatarius semel susceptum Mandatum consummare teneatur, nihilominus, ut Mandanti conceditur revocare, ita & Mandatario suscepto officio ex causa rationabili renunciare permittitur; alioquin Contractus contra æquitatem claudicaret; dummodo Mandatarius tempestivè suo officio renunciaret, ut integrum agendi, vel tractandi jus Mandanti reservetur; aliàs Mandatarius tenebitur præstare, si quod damnum Mandanti ex intempestiva renunciatione causatum fuit. Et hæc quidem juxta Jus commune: nam secundum tenorem Juris Patrii Mandatarius, vel Procurator à suscepta causa recedere invito Principali suo non potest: strictissimè enim obligatur susceptæ causæ usque ad finalem decisionem patrocinari.

Quæritur: utrum in genere cujuslibet Mandatarii Acta, etiamsi fuerit Plenipotentarius, possint revocari?

Quo in casu licèt graves subsint causæ, cur non debeant, vel non possint Acta Plenipotentiariorum revocari, utpote: quòd Plenipotentarius ipsum Principalem repræsentet; attamen non procedit hæc causa in ipsis etiam Plenipotentiariis usque adeò universaliter, ut absolutè non possent revocari. Pro cujus notitia observandum, quòd Ple-  
nipo-



nipotentiaris; aut constituitur *absolutè* absque omni clausula justificatoria, & indefinitè ad omnes causas, ità ut ipsius plenipotentiae nulli fines constituantur, & nullam formam vestiantur: si sic conceditur, non posse revocari Acta Plenipotentiaris, quamquam vix putem hujusmodi casum, seu in Civilibus, seu in Politicis, seu verò in Juridicis inveniri, adeoque hic casus vix est dabilis, maxime in rebus majoris momenti; si quidem mandatum Plenipotentiariorum necessariò hanc, vel similem formam habet annexam: nequid detrimenti Constituens patiatur; quæ cum sit forma omnis mandati, si ab hac forma recessum sit; Constituens non tenetur id, quod contra formam mandati actum est, pro suo agnoscere, & ratihabere. Jus commune in Digestis sub Rubrica Mandati *Lege 46.* expressè prohibet, ne Mandatarius à forma Mandati recedat. Si autem Plenipotentiaris forma agendi præscribitur, & is illam transilierit, quin juxta præmissa possit revocari, nullum est dubium; si scilicet Constituenti damnum, vel juribus ipsius præjudicium causerit: hinc in expeditionibus juridicis juxta Jus Patrium necessariò, & semper inferi solet, ac debet, hæc, vel similis Clausula; *quidquid proficuum fuerit juribus Constituentis; illud Plenipotentiaris sum-*

summa fide, & industria exequetur, à qua forma si recesserit, tunc in hac parte quidquid egit, & de jure, & de facto, irritum erit: sic propriè loquendo non tam ipse Plenipotentarius in tali casu revocatur, quàm ex natura rei Acta ipsius irritabuntur. Et sanè si Plenipotentarius quoad casum eo, quo juribus Constituentis summè præjudicat, non posset revocari, summa imis, & ima summis confunderentur; nam in tali casu sequeretur, Constituentem debere Acta Plenipotentarii, quantumvis juribus ipsius nociva, & absurda ratihabere: quod planè esset agere contra ipsam rationem, in propriam nempe sui destructionem, à quacujuslibet natura abhorret;

Præterea Decidendum; quòd si liceat Acta Plenipotentarii, dum à forma agendi recessit, penes libellum, vel actionem rescindere, licebit etiam revocare: quia non est plus, vel majus Plenipotentarium revocare, quàm Acta ipsius per actionem rescindere. Prius autem licere inde constat; quia in casu, quo Constituentis jura per Plenipotentarium læduntur, competit læso contra lædentem actio; hoc enim est naturale, ut læsus contra lædentem possit jure experiri. Porrò si non liceret Plenipotentarium revocare, id propterea fieret; quia is Constituentem repræsentat, sed cum non  
id,

id, quod ipsi in mandatis commissum est, sed aliud, & quidem contra intentionem, & voluntatem Constituentis agit, tum non potest Constituentem repræsentare, adeoque tunc licitè revocare potest, aut potius ejusmodi Acta non tenebitur Constituens ratihabere; quod idem est cum revocatione.

Sanè si seipsum quoque licet, cuivis revocare in casu, quo per ignorantiam invincibilem, aut vim extrinsecam, vel metum, in quemvis constantem virum cadentem, aut dolo malo ad aliquid inductus est; quidni etiam posset Plenipotentiarium revocare; quòd autem prius possit facere, ex eo constat; quia in tali casu in rem actioni substratam non consensit, & id, in quod aliquis non consensit, pro suo agnoscere, & ratihabere non tenetur. Error enim impedit consensum: concludendum itaque, quòd, quoniam Plenipotentarius non esset omnis erroris immunis, si ipsum ex quacunque causa contingat virtute sui officii Plenipotentiarium, summum præjudicium Constituenti causasse, quin illius acta talia, sive revocatione; sive verò actione juridica mediante rescindere possint, negari non potest.

Do Instantiam. Commisi meo Plenipotentiarario, ut aliqua bona mea, & jura possessionaria Avitica, jure duntaxat Hypothecario possit

possit in alium transferre; ille non observatis mandati finibus, bona mea ipsius fidei, & industriæ commissa, non, prout in commissis habuit, hypothecario, verum perennali jure vendidit, in summum mei, Hæredumque meorum, ut & legum præjudicium; jam quæritur, utrum ego obstrictus sim stare illius venditioni, eamque pro legitima, ac mihi non præjudiciosa agnoscere; At planè me ad id obstrictum esse nullo jure dici potest, & sic debeo sancitatis meis juribus efficax aliquod remedium quærere, quod non potest esse aliud, quam si vel revocem ipsius acta, vel actione mediante rescindam. De eo autem, utrum Advocatorum responsio contra jura, & in præjudicium Constituentis allegata, possit in certis casibus revocari, quæstio nulla est: id enim expressa lege licitum esse constat ex Textu Juris Trip. P. 2. T. 79. 80. & 81. Quivis quidem Mandatarius, sit Plenipotentarius, vel Procurator, nihil interest, constitui solet, vel ad Politica, & Civilia, vel ad juridica negotia summâ fide peragenda; in utroque autem casu oportet seipfos vel Credentialibus, vel Literis Plenipotentialibus, legitimè emanatis, legitimare; alioquin nihil erunt acturi; imò aliquando pœna etiam solet illis dictari, qui absque mandato alienis negotiis seipfos voluerint immiscere.



Constituuntur autem Plenipotentarii, & Procuratores in locis Authenticis, ut sunt Cancellariæ in Principatu, & Officia Proto-Notarialia, Conventus, velut universales Fide-dignitates, quarum Authoritas, ut alibi dictum, extendit se ad omnes Principatûs Partes. Caterum tam Plenipotentarii, quàm etiam Procuratores, vel Causarum Patroni, possunt etiam in singulis Inclytis Comitatibus, Sedibus, Districtibus, & Civitatibus, coram Supremis Judium, & V. Judicibus, aut Locorum Notariis, ad mentem App. Const. P. 4. T. 2. A. 4. constitui, sed tunc ejusmodi Constitutiones in medio duntaxat illorum Comitatum, Sedium, & Districtuum, ubi constituuntur, vim suam sortiuntur; in aliis autem locis extra Jurisdictionem præscriptorum Officialium valorem nullum habent. In modo autem constituendi id observetur, quod Constituens debeat esse præsens in locis Authenticis, vel verò coram personis recipiendis constitutionibus idoneis; Mandatarius autem ubiuis Gentium reperiat, nihil interest:

Super modis constituendorum Procuratorum consulatur *Kitonicis Cap. 10. Q. 26.* Antiquis verò temporibus etiam absens per solas *Literas* constituerebat Procuratores, ut patet

patet ex forma Constitutionis, penes quam Cicero jam olim Scipionem pro suo Mandatario constituerat hunc in modum.

*Nihil est tam arduum ; tamque difficile, Scipio, quod ego tui causa non libenter subirem ; quia amor, & benevolentia nostra reciproca postulat : unde efficitur, ut de te quoque non minorem fiduciam habeam, ut tu etiam in omnibus negotiis meis peragendis sis diligentissimus futurus. Quapropter cum multa sint mihi Romæ peragenda, quæ ego nunc ob causas graves ipse expedire non possum, statui ea tibi committere, ut, quia præsens omnia facilius agere poteris, ea commodius expedias, in quorum imperatione, ut nemine obstante vicem, & Auctoritatem meam habeas, per præsentem literas te meum Procuratorem, & Nuncium specialem constituo, & specialiter in illa causa, quæ mihi est cum Marco Antonio, in controversia ; generaliter verò ad omnia mea negotia, tam istic Romæ, quam etiam alibi meo nomine tractanda, ad vocandum quemcunque opus erit, in Judicium, & super ipsis negotiis libellis producendis, testes, & instrumenta, & si ab Adversario vocatus fueris, meo nomine ad respondendum, Litesque contestandas, & generaliter ad omnia, quæ merita causæ requirunt, & exigunt : super quibus rebus do tibi omnem auctoritatem, & potestatem, ut eas agere,*

Et tractare possis, ac si ego ipse personahiter adesset, promittens, me omnia, ac singula, quæ, per te hisce meis negotiis gesta fuerint, grata, & rata habiturum, sub obligatione omnium meorum bonorum. Tibi igitur omnem causam commendo, meque ipsum tibi trado.

Observetur præterea. Mandati nomen & conceptum alio quoque sensu in Jure Patrio accipi, pro illis scilicet literis judicialibus, quæ Augusto suæ Majestatis nomine eo fine in Cancellariis expediuntur, ut iis Causantes in judiciis, & Causarum processibus suis, quisque debitis locis legitime uti possint. Quæ duorum generum esse videntur: aut enim *Præceptoræ*, aut verò per modum, & formam duntaxat *Testimonialium* expediuntur. Prioris generis solummodo sunt strictè loquendo Mandatum; sic enim in Principio statim referunt sacrum suæ Majestatis nomen: MARIA THERESIA, Dei Gratia. &c. Posterioris generis, ut sunt, ita etiam testimonialium nomine veniunt, hunc in modum. NOS MARIA THERESIA, Dei Gratia, Regina Hungariæ &c.

Horum Mandatorum tam prioris, quam etiam posterioris generis mensura est Jus Patrium; ut scilicet, quæ Juri Patrio conveniunt, legitima; Quæ verò disconveniunt,

unt, illegitima sint, & nuncupentur: in hisce Mandatis hoc est præcipuum, ut, qui legitimis non obtemperaverit, incurrat ordinariè pœnam Articularem Hung. flor. 200. & ideo in Mandatis præceptorie sonantibus inferi solet Clausula hæc: *Ratione non obtemperationis hujusmodi legitimi Mandati.* Jam verò Executor aliquis penes Mandatum contra jus Patrium procedens non solum præscriptam Hung. flor. 200. pœnam incurret, verùm prætereà si in aliquo honore, vel officio extiterit, officium quoque amittet. App. Const. P. 4. T. 9. *Articuló. 1.*

Juvat hic referre, quàm strictissimè prohibuerit Jus Patrium, ut nemo præsumeret illegitimam executionem peragere, ut patet ex toto Juris Patrii Corpore, inter cœtera App. Const. P. 4. T. 9. A. 1. mox præcitató & T. 10. A. 1. illis verò, qui huic legi prohibenti parere abnuerent, idem Jus Patrium gravem pœnam dictavit, prout in Compilat. Const. P. 3. T. 11. A. 3. videre est.

## CAPUT XVI.

### *De Transactione.*

**T**ransactio est species contractûs, quæ describitur rei dubiæ jam in litem deductæ,



ductæ, aut brevi deducendæ ex consensu Partium placide inita conventio : incumbit cuivis Judici Partes litigantes ad amicam transactionem hortari, quæ si non succedat, postea jus suum unicuique reddere absque Personarum respectu.

Causa efficiens Transactionis est, voluntas transigentium, ita tamen, ut alterutri Partium aliquid detur, retineatur, vel permittatur; Causa movens, vel impellens est dubius litis eventus, de quo unaquæque partium solet esse sollicita. Objectum Transactionis sunt res dubii eventus; Forma consistit in modo transigendi, quo modo enim aliquis literas suas formaverit, ita etiam accepturus est iudicium.

Finis Transactionis est, ut per svavia potius media, quàm finalem sententiam controversia inter partes quantocyus, adeoque absque longiori protelatione, quo meliori fieri poterit modo, componatur : semper enim melior est certa pars quàm sperata victoria; cum & alioquin litis eventus dubius esse solet. Effectus ejus est, Transactionem semel bona fide finitam rescindi, aut omnino non posse, aut difficulter, præsertim si fiat auctoritate Judicis interveniente; quia in Judice non potest dolus ordinariè præsumi; ideo in quâ re judicialis Auctoritas intervenerit, illam pro re judicata ha-

beri posse manifestissimi Juris est. Nam controversiæ litis intermedio sopitæ revocari, vel rescindi non possunt. Decret. Trip. P. 1. T. 62.

## CAPUT XVII.

### De concambio.

CONSULATUR Jus Patrium Decreti Tripartiti P. 1. T. 70. 71. 72. Singulare est in Concambio; quòd si bona fide, & legitime celebretur, nullo Jure poterit rescindi; si verò contra leges, & dolò malò ineatur, eo in casu legitimi successores in unico dumtaxat termino octavali bona in Concambium data reacquirere poterunt, Decret. Trip. P. 1. T. 71. §. ultimo. Et porro si quispiam Hæredum, vel successorum Bonis mediante Concambio apprehensis, sine juridica reclamatione usus fuerit, fructumque inde realiter perceperit, eo factò talis usus vim consensûs fortietur, nec amplius retractationi tale Concambium obnoxium erit, ut habet præcitatus Textus Juris P. 1. T. 72.

## CAPUT XVIII.

### De Donatione.

Quamvis Donatio inter Contractus ponitur non soleat, ex quo tamen bonis juri

Re-

Regio obnoxiiis, ipsa dedit originem, utile videtur hic de indole Donationum aliquid definivisse.

Donatio in genere dicitur, liberalitas nullo jure cogente facta: ita enim sonat lex §. 2. Pandectarum, *Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.*

Nos hic Donationem accipimus pro summi Principis liberalitate, & munificentia; quando nimirum summus Princeps ex ingenua clementia alicui suorum fidelium ob fidelia servitia, & merita aliqua Bona ad jus Fisci Regii rite devoluta confert: interdum talis Donatio est *pura*, quando sua Majestas sive proprio motu, sive ad preces nonnullorum suorum Fidelium alicui de Principe, & Patria bene merenti, solet talia Bona jure perennali intuitu duntaxat fidelium servitiorum benignissime impertiri. Interdum vero Donatio est *mixta*: quando nimirum aliquam summam pecuniariam Donatarius pro consequendis ocyori via hujusmodi bonis in rationem Boni Publici persolvit; & ideo hæc Donatio proprie *Inscripto* nuncupatur. Decret. Trip. P. 1. T. 13.

Dicitur autem Jus Patriam, quatenus obstrictus sit quivis Donatarius, Donationem suam legitime emanatam, intra unius anni

integri spatium ab emanatione Donationis computandum, statutione, eaque legitima munire, ac stabilire, nisi velit Donationem suam viribus destitutum iri Dec. Trip. P. 1. T. 32.

Est verò *Statutio*, legitima introductio, Donatarii in Bona Donata, quæ statutio vel cum clausula *Cum Nos*; vel verò cum alia clausula, *Dicitur Nobis* solet expediri. In priori casu peracta statutio tantarum est virium, ut in casu, quo fortè literæ Donationales amitterentur, ipsa sola statutio plenam in omni iudicio, & sufficientem vim effectus habitura. At verò penes aliam clausulam emanatæ statutoriæ, nisi literæ Donationales ipsis statutoriis vel inferantur, vel in specie producantur, nullum effectum in Foro contradictorio erunt consecuturæ Decr. Trip. P. 1. T. 34.

Contingit verò quàm sæpius, quòd possessores Bonorum novam impetrent Donationem, eamque aliquando simpliciter, aliquando cum jure Regio: quæ quidem nova Donatio intuitu Juris Fiscii Regii semper est efficax, in tantum, ut post impetratam ejusmodi bonorum aliquorum novam Donationem, nulli alteri competat Jus eadem bona à summo Principe cum effectu impetrandi; si modò impetrans non sit Potentiaris,



tiarius, sed bona fide agat, & procedat: alioquin enim, si mala fide egerit, & sinistram fecerit summo Principi expositionem, non solum desideratis carebit, verum etiam condignam pœnam sustinebit. Decret. Trip. P. 1. T. 37. Compilatarum Const. P. 4. T. 4ti. Art. 2do.

Et quoniam nova Donatio attenditur etiam intuitu fratrum, vel sororum Impetrantis Generationalium, ideo, si contingat novæ Donationi non esse insertum sexum Fœmineum, in judicio contradictorio frustra, & gratis producet impetrans novam Donationem; nisi literas quoque acquisitionales, quibus mediantibus ipsa bona, novæ Donationi substrata in fundamento acquisita fuere, produxerit; sola enim Donatio per se non sufficit ad excludendum jus Fœminei sexûs, Decr. Trip. P. 1. T. 37. Cum autem Donationes aliquæ expediri soleant cum hac Clausula, *Hæredibus & Posteritatibus*, non addendo utriusque sexûs? Quæritur utrum hæc Clausula utrumque sexum, vel verò duntaxat masculinum complectatur?

Hæc sanè Quæstio summam habet in Jure Patrio difficultatem: constat enim ex jure communi Hæredum nomine, æquè fœmineum, ac masculinum sexum debere inteligi. Præterea ex Textu Juris Patrii P. 1. T.

10. 17. etiam constat, quòd tametsi nomine Hæredum, solius masculini sexûs homines intelligantur, nomine nihilominus Posteritatum fœmineus quoque sexus denotetur. Et alioquin graves rationes militat pro hoc sensu, utpote cum Parentes suis filiabus ex dictamine Juris naturalis æquè acquirant, ac filiis suis: & quoniam Jure naturali inter filios, filiasve cumprimis, quantum ad acquisitionem jurium, nulla sit differentia, ideo præsumptio vehemens militat pro filiabus; quod si non Hæredum, saltem Posteritatum nuncupatione etiam filia venire debeant. Imò, si rem altius examinemus, in jure naturali nihil reperitur per quod nomine Hæredum ipsæ filia privari possent, ita, ut secundum illud jus non plus participent filii de nomine Hæredum, quàm ipsæ filia: signanter verò casu, quo consors alicujus, id est, filiarum genitrix fuerit Donataria, quomodo possint virtute Clausulæ illius, Hæredibus, & posteritatibus, filia à successione excludi, vix potest habere firmam rationem. Verum his non obstantibus tam lex Decret. Trip. P. 1. T. 17. in verbis: *Dixi notanter quoad utrumque sexum.* quàm etiam in inelyta Tabula continua serie observatus Judiciorum usus evincit, ejusmodi Donationem solummodo masculino, & non fœmineo sexui deservire,

re, & quidem eà lege, ut in casu defectûs virilis feminis sacra Majestas immediatè succedere, bonaque penes publicationem apprehendere possit. Statutionis autem prædeklaratæ tempore si nullus Contradictorum apparuerit, tunc possessionem bonorum Donatarius immediatè consequetur; si verò Statutioni per aliquem contradicium fuerit, eo casu contradictio vim suam habebit, & Donataris virtute Donationis, extra Dominium, jus inpetratum in Inclyta Tabula judiciaria Regia prosequetur. App. Const. P. 4. Tit. 13. Art. 6.

Evenit autem non rarò, ut vel incendiò, vel tempore motûs belli, vel alio infortunio Donationales, ut & Statutoria nonnullorum literæ amittantur, Quid itaque in hoc casu agendum? incumbet Possessori legitimis, & fide dignis testimoniis edocere, se in possessione bonorum suorum, quorum literæ amissæ essent, penes Donationales, & inde legitimè subsecutas Statutorias perstitisse, quo legitimè edocto, recurrat ad summum Principem, petâtque quàm humillimè seipsum ratione talium bonorum, & jurium Possessionariorum novâ Donatione mediante consolari, & in tali casu summus Princeps ex ingenita clementia dignabitur Possessori novam Donationem impertiri.

Imò, si quis nonnullorum bonorum Aviticorum literas casu, vel fato aliquo amiserit, & quidem talium, in quorum possessione Paternæ, vel Maternæ Aviticæ, aut verò Paternæ, vel Maternæ successionis, ure à tempore humanam memoriam excedente, in pacificam eorundem bonorum possessionem, & Dominium successisset, & postea etiam perstitisset, & hoc ipsum fide dignis testimoniis Possessor edocere poterit, in hoc etiam casu summus Princeps ejusmodi bona penes impertitam novam Donationem apud dictum Possessorem, ejusque Hæredes relinquet, ut expressè docet Jus Patrium App. Const. P. 4. T. 13. Art. 2.

## CAPUT XIX.

### *De Consensu Regio.*

**J**US Regium est Cessio Jurisdictionis summi Principis in bonis aliquibus, quocunque modo existentis P. 1. T. 64.

In cujus consideratione primò hoc est præcipuum, quòd factio, vel contractus, seu concambium, cui sua Majestas benignum suum consensum præbere dignata est, consensualibus ad verbum inferatur.

Secundò, si autem hujusmodi literæ insertæ non fuerint, eo casu coram judicio in  
specie



specie debebunt produci; alioquin consensus  
omni efficacia destituetur. Decret. Trip. P.  
1. T. 35.

Tali autem consensu Regio, præprimis  
habitâ ratione successionis Fiscii Regii indi-  
gent omnes in universum Fassiones, &  
Contractus inter extraneos, & à Jure succe-  
dendi alienos perennali jure celebratæ. Decr.  
Trip. P, 1. T. 63.

Et porrò quemadmodum Donationis Sta-  
tutio habet fatale tempus, sive terminum  
peremptorium, oportet eum intra unius  
anni decursum eam peragi, ita se res habet  
etiam cum Statutione Regii Consensûs;  
nam hic quoque oportebit itatutionem dicti  
consensus peragi intra annum ab emanatione  
impetrati contractûs computando. Decret.  
Trip. P. 1. T. 63.

Excipiuntur tamen aliqui casus. imò.  
dum, & quando aliquis etiam ante impe-  
tratum consensum in actuali bonorum pos-  
sessione extiterit.

2dò. Quando per fatentem impetrans sta-  
tim, & defacto in possessionem bonorum  
actualem intromittitur.

3tiò. Tempus Statutioni definitum com-  
putandum erit ab emanatione Regii consen-  
sûs, atque ita intra Annum peragi.

410. Si Fassio instituat<sup>r</sup> cum conditione de futuro, tunc si summus Princeps non tantum simpliciter tali Fassioni consenserit, sed etiam totum, & omne jus Regium in ejusmodi bonis qualitercunque habitum clementissimè indulserit, eo in casu statutio in Jure Regio à tempore indulti consensûs intra annum, imò statim statutio debet peragi; super consensu autem ratione Fassionis à sua Majestate adhibito, non nisi conditione impletâ, vel fortè Partium alterutra decedente, à tempore decessûs computandò, intra annum statutio debet celebrari. Decret. Trip. P. 1. T. 63. & 66. Ratio est; quia jus Regium Impetranti absolutè, Consensus autem super Fassione conditionatè, in tali casu conceditur. Aliquando enim Fassioni; & contractui sua Majestas simpliciter, & absque Regii consensûs collatione consentit; aliquando autem totum Jus Regium Impetranti benignissimè solet concedere hunc, vel similem in modum: Totum item, & omne jus Regium qualitercunque in iisdem bonis habitum.

Inter cæteras verò abalienationes Regio consensu indigentes præcipua est Fassio singularis alicujus, & defectui seminis approximantis personæ; hæc enim persona nedum ex Aviticis, sed nequidem per se acquisi-

tis potest liberè disponere perennali jure, absque prævio Regio consensu. Decret. Trip. P. 1. T. 65. Item Kittonics in The- si tertia, ejusque resolutione.

## CAPUT XX.

### *De Contractibus tacito consensu iniri solitis.*

**E**X hætenus dictis apparet in præmentio- natis Contractibus expressum, eumque liberum Partium consensum requiri, præter casum Indebiti: quem tamen ideo inter præscriptos Contractus ponere placuit; quia videtur cum contractu Mutui habere simili- tudinem. Nunc de Contractibus tacito consensu iniri solitis, qui in Jure Civili Quasi- contractus nuncupantur: de quibus utut facta sit mentio superius in capite quinto; quia nihilominus hic videntur habe- re propriam sedem, è re fuerit illos reite- rare, & describere, quòd sint præsumptæ Conventiones mediante aliquo honesto fa- cto actionem producentes.

Tria videntur habere requisita.

1<sup>mo</sup>. Ut instituantur absque expresso con- sensu, vel conventionem,

2<sup>do</sup>. Ut objectum eorum sit factum ho- nestum;

nestum; si enim expressa conventionem constarent, tunc in numerum prioris generis Contractuum referentur. Si autem objectum illorum esset res inhonesta, inter delicta numerarentur.

3<sup>ti</sup>o. Ut præsumptus consensus, & tacita voluntas in his contractibus ex interpretatione Juris tam efficaciter operetur, quam illi contractus, quorum naturam expressa Conventio absolvit.

Sunt verò ejusmodi Contractus Negotiorum gestio, Tutelæ administratio, Hæreditatis aditio, litis Contestatio, Indebit solutio, casus rei Judicatæ, Jurisjurandi, & similia: tametsi enim, ut cætera omittam, inter Tutorem, & Pupillum expressa conventio non intervenisset, nihilominus ob non satis sincerè administratam rem pupillarem, dabitur pupillo, ubi ad ætatem suscitandarum litium capacem pervenerit, contra Tutorem de jure actio; imò & Tutor reciprocè poterit agere contra pupillum, dum ætatem pupillarem excesserit, si se ex gestione tutelæ læsum fuisse legitimè docuerit: Et hæc de Contractibus.



## CAPUT XXI,

## De Delictis.

DEFINIUNT Juristæ Delictum in genere, quòd sit factum illicitum contra leges commissum, delinquentem ad pœnam obligans. Estque vel strictè, vel minùs strictè, sive in laxiori sensu sic dictum. Prioris exemplum sunt Casus tam criminales, ut furtum deliberatum homicidium, &c. quàm nonnulli Civiles, ut Actus potentiarii, Casus læsæ famæ, & similia innumerata. Posterioris exemplum esto in Judice ex imperitia perperam judicante, & in Medico pari modo ex imperitia ægrotum negligenter curante, præprimis si inde ægrotum mori eveniat. Inter hæc delicta hoc interest, quòd prioris generis casuum naturam prava intentio, & dolus absolvat, & ideo illorum ratio formalis in dolo malo consistit; posterioris generis casuum culpa aliqua, & non dolus admixta est, adeoque prioris generis casus dicuntur in jure communi *strictè*, & propriè dicta Delicta; Posterioris autem minùs propriè, id est, *Quasi-delicta* nuncupantur.

Dictum est in hac Periodo, ex propriè dicto Delicto duplicem casum oriri; 1. *mo.* *Criminalem*, 2. *mo.* etiam *Civilem*: quæ ergo

erit inter hos Casus distinctio? quo enim ex delicto descendunt, videtur inter ea nullam esse distinctionem. Imò quavis uterque ex propriè dicto delicto descendat, inter se se tamen distinguuntur, quia criminalibus dicantur leges pœnani, corporis afflictivam, utpote: verbera, membrorum mutilationem, aut etiam ultimum supplicium. In Civilibus autem, ut sunt nonnulli actus Potentiarum, casus læsæ famæ, & multi alii, leges ad Pœnam mortis non progrediuntur, sed in pœna pecuniaria, vel bonorum propriorum amissionem, aut alienorum restitutione subsistunt. Et hæc de Delictis in genere.

Conceptus hætenus præmissorum exhibent genuinos, & uberes obligationum fontes: illæ enim omnes in universam, originem sumunt ut supra, vel ex jure in re consistente, unde actio in rem vulgò *realis*; vel ex jure ad rem, sive contractibus, aut delictis præmissò modò intellectis, unde actiones in personam vulgò *personales* dictæ, ubi verò casus est utriusque, id est qui ex reali, & personali actione fundamentum accipit, mixta actio vocari consuevit.

Est autem obligatio vinculum Juris, obstringens aliquem juxta leges ad aliquid alicui dandum, vel faciendum;

Sic ergo intellectâ obligationum, & actio-

actionum inde Descendentium naturâ, offert se hic singularis Quæstio; quænam ex præmissis actionibus transeunt activè, & passivè ad Hæredes Defunctorum? Generaliter poni potest talis Regula: omnes illi casus, in quibus Hæredes personam Defuncti possunt activè, vel passivè de jure referre, & repræsentare, & ideo etiam interpretatione Juris referunt, & repræsentant, transeunt ad Hæredes; & è contra omnes illi casus, in quibus Hæredes personam Defunctorum repræsentare non possunt, & idcirco neque repræsentant, illi in Hæredes non transeunt.

Subsumamus. Constat autem, Hæredes Personam Defunctorum in criminalibus, aliisque pœnalibus, nec activè, nec passivè posse referre, aut repræsentare, & quia agere præsupponit posse, si non possunt, neque etiam repræsentant, ideòque concludendum universaliter: nullos casus criminales, aut pœnales in hæredes activè, aut passivè posse transire. Ratio imi fundatur in Sacro Textu, cui jus Patrium innititur; Decr. Trip. P. 2. T. 60. In verbis; *Nec Pater Filii, nec Filius Patris iniquitatem portare poterit.*

Item P. 2. T. 52. ubi dicitur: quod extinctâ Personâ, extinguitur etiam ipsius actus.

actus Personalis. Lex communis per expressum habet in Digestis Regula 3. *Non solere ad Hæredem transire actiones, quæ penales sunt ex maleficio, veluti Furti, damni, injuriæ, vi bonorum raptorum, sive actuum potentiorum.*

Nemo enim absolute alterius criminis successor constituitur, sed Delicta omnia suos Authores obligant, & quivis ex suo admisso forti subicitur. *Anima, quæ peccat, ipsa morietur.*

Hæc sententia eo sensu debet inteligi, si nimirum ex Delicto, & prava actione aliquid à Defunctis ad Hæredes non pervenit: si enim rem mala fide partam, aut potius raptam, & in spolium acceptam Hæres possideat, obligatus est, rei perperam ablatæ verò Domino, restituere. Est enim dictamen juris naturalis, *non licere aliquem sum damno tertii locupletari:*

Et rursus Hæredibus omne turpe, & inconsultum lucrum extorquendum, & si Hæres rem ejusmodi nollet restituere, competet in hoc casu prætendenti contra Hæredem de jure actio; hoc tamen inter Defunctum, & Hæredem de jure actio; hoc tamen inter Defunctum, & Hæredem observatô discrimine, quòd si contra Defun-



ctum vivo adhuc ipso ratione rerum mala fide partarum lis fuisset mota, pœnam casui proportionatam evitare non potuisset, si autem ipso viventelis nulla fuit mota, & post decessum ipsius contra Hæredem ratione ejusmodi rerum causa suscitetur, restitutione duntaxat talium bonorum, & damni medio tempore causati refusione, & non aliâ pœnâ Hæres tenebitur. Si autem ad præviam admonitionem talia bona Hæres restituere noluerit, tum pœnæ à legibus dictatæ seipsum reum efficiet; omnis enim res pro suo Domino clamat, nec alioquin pœnam à jure dictatam effugiet.

Quid ergo Juris? si eo adhuc tempore, dum Defunctus in vivis fuisset, ratione casuum criminalium lis fuisset contra eum mota, utrum talis actio transire posset in Hæredem? Rectè dici posse videtur, criminalem actionem omnem morte crimen patrantis interveniente absolute periri. Mors enim omnia solvit, adeoque hic etiam habet locum superius allegatus sacer Textus, ubi dicitur: *quod Pater Filii, aut Filius Patris iniquitatem portare non potest*: sumpto ex hoc sacro Textu argumento, humanis etiam legibus sancitum, criminales actiones non posse transire ad Hæredes; non enim sunt entia transcendentalia.

Adhuc quæritur? Quid si quispiam committat

mittat actus majoris Potentiæ, & vivente adhuc ipso Potentiario contra eundem causa moveatur, contingatque illum in intermedio mori? utrum talis causa possit transmitti ad Hæredes? salva lege Patria Decret. Trip. P. 1. T. 61. videtur difficile esse intellectu, quomodo possit talis actus in Hæredes transire? si scilicet per ejusmodi actum nullius rei possessio pervenit ad Hæredes; obstant enim rationes tum præcitati sacri Textus, in quo prohibuit Deus, ne Patres pro Filiis, aut contra Filii pro Parentibus punirentur; tum quia, si nemo est alterius criminis successor, nec Hæres potest in Defuncti crimem succedere. Et extincta persona crimen committente, simul eodem temporis momento & ipsi actus potentiarii extincti sunt, ut habet præcitatus Textus juris Decret. Trip. P. 1. T. 52.

Si autem dicatur in Textu P. 2. T. 61. non debere evocationem undè intelligi, sed oportere subintellegi litis etiam contestationem, qua mediante evocatus in litem consensisse videtur. Sed ne sic quidem potest percipi, quomodo possit Hæres in tali actione lite etiam per Defunctum contestata succedere; quia litis contestatio non potest successionem criminis in Hæredem transfundere. Et alioquin litis contestatio non  
 posset

posset habere vim majorem, quàm si interpretatione juris pro quasi Contractu acciperetur. Talis autem Contractus in jure non subsistit, eò quòd omnes in univèrsum Contractus, sive expresso, sive tacito vel presunto consensu ineantur, habent, pro objecto, prout superius quoque dictum, Rem humano Generi utilem, & honestam; & ideo per absolutum Contractuum objectum res turpis esse non potest. At verò ejusmodi actus majoris potentiae sunt res turpes, & ob hoc super iis Contractus iniri non potuit; rerum enim turpium nulla est obligatio. Interim hæc dicta esse velim jure Patrio, & saniori aliorum iudicio in salvo permanente. Nunc à Theoria, in qua nos hætenus exercuimus ad praxim iter sternendum erit, & quidem incipiendum à Filiali Sedria in Inclytis Comitatus sic vocari solitâ.

Priusquam tamen descriptionem Filialis Sedriae aggrediamur, præmittendum pro fundamento: Inclytum quævis Comitatum duobus Processibus, superiori, & inferiori solitis absolvi, & utrumque habere supremos Judicium, & Vice-Comites, ita, ut in quovis Comitatu duo supremi Judices, & totidem Vice-Comites constituentur, tamque Superior, quàm etiam Inferior

Processus complectitur in suo gremio alios Particulares, vel Circulares processus, quibus singulis singuli Vice-Judium præponuntur. Jam verò tam Superior, quam etiam Inferior Processus, cum consensu, & approbatione Supremi Comitatus gaudet facultate, Partialem quoque, ac Filialem Sedriam locis, & temporibus, pro ea re ordinatis celebrandi, quæ dum celebratur, Supremi Judices in Partiali, & Filiali Sedriis, quæ Præsides judicio præsumunt, & quia Supremi Judices soli judicare non possunt, prospexit jus Patrium de eo, ut in sinu, vel gremio cujuslibet Inclyti Comitatus, alii quoque Judices communi nomine Assessores dicti, utpote: ad hoc nobile officium, solemni juramentò mediante in Generalibus Sedriis ordinati, ad quamvis Sedem Judicariam prius per literas de loco, & termino instituendæ Sedriæ certiores redditi, Assessoratûs officiis suis functuri compareant, & cum Supremo Judice, & Vice-Comite, ut & Notario Sedriæ, aliisque Dominis Comitibus, Baronibus, Magnatibusque, & Nobilibus unum Collegium Juridicum constituent, ibique imploratò prius Spiritûs Sancti auxiliò, de ebus in judicium deductis, secundùm leges Patrias, & juxta juramentò suscepti officii sui exigentiam, absque personarum, & Religio-



ligionum respectu, quâ impartialis decet, deliberent. Vice-Comes autem tam in Generali, quàm & Filiali Sedria potissimum Actoris Vices sustinet, ipsosque malefactores acceptâ superinde è Legibus Patriis facultate, ex officii sui ratione prosequitur.

CAPUT XXII.

Quid est Filialis Sedria?

EST Judicium, vel Forum, in quo perpetuâ lege Inctorum, vel Reorum vices, & personas, ignobiles sustinent, & ideo ignobilium Forum dictum, vulgò etiam in nativa lingua more Majorum Nostrorum, *Ispány szejki* nominatum. Tametsi enim Actor in hoc foro potest esse tam Nobilis, quàm ignobilis, ex quo tamen Nobiles ad hoc Forum trahi non possent, neque unquam in eo Nobilis persona, quâ talis, id est, indubitata Nobilitate gaudens, nisi fortè obscuræ originis, & conditionis fuisset, ut sciri non potuisset, illum Nobilitari prærogativa verè gavisum, Partes Incti sustinuit, ob hanc causam Forum ignobilium, & fortè frequentius malefactorum dici consuevit, nam omnes malefactores ignobilis conditionis, quos Domini Terrestres legitime prosecuti non fuerint,

rint, ad hoc judicium trahuntur, ibique illorum maleficia examini, & discussione submittuntur, ac, prout demerita eorum tulerint, vel absolventur, vel verò condignâ pœnâ acrientur.

Ubi habet hæc Filialis Sedria in jure Patrio fundamentum? Filialem Sedriam jus non scriptum, id est, consuetudo induxit, & omne ejus fundamentum antiquissimæ, & jam inde à fundatione Principatûs plus quàm millies approbatæ, viique & auctoritatem legis obtentæ consuetudini debemus, habetque nomenclaturam ex eo, quòd particularis vulgò Patrialis, & Filialis Sedriæ, instar Filiarum Inelytæ Generalis Sedriæ concipi possunt.

Præses autem, ut jam dictum est, hujus fori est supremus Judium; Judices verò Jurati Assessores Inelyti Comitatus cum alijs Nobilibus, eorum præsentibus, colligente in Judicio eorundem vota Jurato Notario, quoniam processus, ac Judicia Comitatus oportet Processui, & Judicio Tabulari, in quantum fieri potest, conformari, ut habet jus Patrium in App. Const. P. 4. T. 1. A. 19.

In Judicio autem Tabulari præviò Regiò Mandatò Præsidi, & Magistris proto-No-

to-Notariis exceptis, debent ad minimum Domin. Assessores Tabulæ septenario adesse numero; Convenientissimum etiam fuerit pro tenore hujus normæ inferioribus quoque Sedriis, adeoque etiam in Filiali, præprimis dum & quando de vita, & sanguine humano dijudicando agitur, si non plures, saltem septem Judices præter Præsidentem Fori, & Vice-Comitem præsentibus esse. Utut enim in hoc foro de vita, & sanguine ignobilium agatur, nihilominus tamen tam secundum humanas, quam præprimis divinas leges ad dijudicandas ejusmodi personas, tanta prudentia, Legumque peritia, justitia, & pietas requiritur, quanta ad dijudicandos Nobiles. Sunt enim & isti quoad jus Divinum, & Naturale æquè homines, ac alii sublimioris conditionis, & à judicio debet exulare omnis personarum respectus: sic enim præcepit Deus; *Personam in judicio non respicies.*

*Quæ, & quales Cause in hoc foro solent tractari ?*

**C**Riminales æquè, ac civiles: licet enim jus Patrium Dnis terrestribus indulserit facultatem in acta Personarum ignobilium, non tantum civiliter, sed etiam pœna sanguinis,

guinis, & gladio, ipsorum demerito exposcente, ratione jurisdictionis Dominalis animadvertendi, Approb. Const. P. 3. T. 47. A. 19. in verbis præcipuè istis: *Es legitimè convincaltatván szabadoson exequaltathattya-is, a' Tiszteknék továb se joraitoz, se személlibez semmi prætenziójok ne legyen.* Nec non Compil. Const. P. 1. T. 11. A. 1.

Si tamen Domini terrestres in suis Officiis hac in parte remissiores extiterint, suæque obligationi eatenus executioni mancipandæ defuerint, tunc Magistratus Comitatus ratione Officii sui habebit facultatem, tam contra malefactores, quàm etiam debitores, ac aüter quoque obligatos ignobiles, Civiliter æquè, ac criminaliter, observata casûs, vel actionis qualitatibus, & justitiæ proportionem, in judicio procedendi, hoc per expressum declarato ex mente Legum Patriarum, ut præfatum est, vi jurisdictionis Dominalis, sive criminalium, sive etiam Civilium Casuum, ratione, & prætextu in administratione juris, & justitiæ circa Jobbagyiones suos activè, & passivè exerceri solitæ, præ Magistratu Comitatus gaudeant jure, & privilegiis prioritatis, & ubi eatenus Domini Terrestres, circa Jobbagyionum suorum acta, vel quascunque obligationes juridicæ revisioni, ac discussioni substernendas jus, & justitiam juxta legum requisiti dixe-



dixerint, reddiderint, aut administraverint, extunc Magistratus Comitatus contra tales ignobiles in foro competenti ratione cujuscunque actus, vel prætensionis legitime absolutos, vel aggravatos nihil juris habiturus erit, ut expressè docent præcitati Juris Patriæ Textus App. Const. P. 3. T. 47. A. 19. Ut & Comp. Const. P. 3. T. 11. A. 1.

Quarum Legum virtute in casu, quo Magistratus Comitatus præ Dominis Terrestribus jus prioritatis de jure habere nequiret, attamen ignobiles incaptivari juberet, factâ eatenus in judicio per Dominos Terrestres objectione, ejusmodi ignobiles à foro, & instantia Comitatus absolvi, eorumque Causa ad discutiendum ad ipsum Domonale Forum remitti debet.

Filialis Sedriæ authoritas quousque, & quam latè se extendit? Praxis, & consuetudo judiciaria hanc quæstionem non definiit, sed illimitatam, & indefinitam reliquit, adeoque illius authoritatem oportebit negotiorum, & causarum eò deducendarum naturæ, & qualitatibus commensurari; alioquin videtur ejus Fori objectum posse esse etiam rem magnæ quantitatis, sive ea pecunia fuerit, sive alia res mobilis, aut immobilis, v. gr. si aliquam pecuniæ sum-

E mam

nam Personæ ignobiles sub spe futuræ restitutionis ab aliquo levaverint, & ad terminum restitutionis præfixum persolvere noluerint, utut centum, vel ducentorum flor. summam, & ultra excesserit debitores in hoc foro conveniri poterunt. Par erit judicium de eo, si debitum in aliis rebus mobilibus, utpote: Tritico, Avena, Vino, & similibus constiterit, perinde etiam si ignobiles potentiâ mediante, & per vim alicujus Jura possessionaria, & Bona immobilia, ut & mobilia occupaverint, pro ejusmodi actibus potentiariis, si ut præmissum est, eatenus DD. Terrestres satisfactionem non impenderit, immediatum forum in hac filiali Sedria fortituri erunt. Dummodo observetur, ut extracatum debiti, vel illati damni multa pecuniaria Ignobilibus infligenda, valorem eorum homagii ne excedat, ut habet jus Patrium Approb. Const. P. 3. T. 11. A. 2.

Quæritur, utrum de jure possint Ignobiles Personæ aliquo juris remedio, vel beneficio uti? Et quidem *imò.* prohibita expost novô, cum inhibitione vocari solitô, Novô item Judiciô simplici, & appellatione?

Respondeo: Videtur, quòd his omnibus beneficiis Juris licitè uti possint: illa enim  
 juris

juris beneficia usque adeò , & tam strictè sunt universalìa , ut nulli mortalium in causam attracto de jure possint denegari , eo præsertim tempore , quo de ipsorum sanguine , & vita , ac membrorum amissione agitur ; exceptis iis casibus , quos jura Patriæ inde exceptos esse voluerunt : quo in casu poterit hæc regula observari ; Quæ juris beneficia , leges Patriæ Ignobilibus Personis nunquam , & nusquam denegârunt , iis semper licitè uti possunt , præmissa autem juris beneficia , Leges Patriæ Ignobilibus personis etiam , contra quos criminaliter agitur , non denegârunt. Exceptis mox dicendis casibus , ut omnes Textus Juris Patrii accuratè , indaganti manifestum erit adeoque , quin illis licitè uti possint , negari non potest.

Appellationes ex hac Sedria quorsum , & ad quam Sedriam promoventur ?

Licèt verò in causarum appellationibus saltus dari non soleat , verùm , quoniam Forum , ut vocant , parziale , ab hac Sedria quoad Judices solâ denominatione distinguatur , iidem enim in utràque Sedria sunt Judices , idcirco longè consultius fuerit ab hoc foro causas appellabiles ad Inclytam Sedriam Generalem provocari ; nam alioquin cùm authoritas Filialis Sedriæ au-

thoritatem partialis Sedriæ longè excedat, non videtur conveniens, & congruum ab hac Sedria in partialem Sedriam causas provocari posse; cùm appellatio Civilium Casuum non videatur tantam habere difficultatem. Quæritur, quid Juris in Criminalibus? utrùm illi possint ex hac Sedria de jure appellari? videtur per affirmationem ad hanc quæstionem responderi. Ratio; quia Leges non videntur omnes criminales casus ab appellatione excepisse. Contrariam sentientes, duobus argumentis volunt hic edocere, Criminalium Casuum appellationem esse illicitam, 1<sup>mo</sup> quia in genere criminales causas non liceret appellare. 2<sup>do</sup>. quia, cùm hic agatur de personis Ignobilibus, non videntur leges tantum favorem indulgisse Ignobilibus, ut in criminalibus appellari possent; sed primum non procedit, quia ex omnium consensu, dictante etiam ipsius rei naturâ, deliberatum homicidium est causa summè criminalis; illud tamen posse de jure appellari, manifestè evincit Textus Juris App. Const. P. 3. T. 47. A. 20. & P. 4. T. 1. A. 25.

Sed neque posterius procedit: quia Leges Patriæ ratione hujus puncti non præscribunt diversum procedendi modum, neque ad plus, vel majus obligant hac in parte Ignobiles, quàm personas Nobilitari præ-



rogativa gaudentes. Et si finem appellationis indagemus, perinde & idem finis utrinque intenditur, ut scilicet per maturiorem revisionem, & saniolem discussione inferioris Sedriæ Judicum sententiæ in melius emendentur. Si itaque æquè incidere potest vitium, aut error in sententias, vel judicia contra ignobiles pronuntiata, prout contingit in causis Nobilium, rectè sequitur, æquè in his, quàm in illis debere admitti appellationem. Ratio enim diversum sentientium, quòd si liceret appellare, tunc Incti omnes, & semper ad altius Judicium provocarent, ipsique reipublicæ tali mora non leves sumptus causarent; non est tanti, ut propterea plenè defensionis facultas in judicio convictis denegari posset; nam nulla unquam de morte hominis cunctatio longa est; & alioquin sunt certi casus, qui ab ordinariis appellationibus excepti sunt.

1<sup>mò</sup>. Causa illorum, qui in ipso delicti facto deprehensi sunt.

2<sup>dò</sup>. Casus ille, in quo alterutrius partis juramento res dijudicanda submittitur.

3<sup>tiò</sup>. Quando malefactores non solum Testibus fide dignis convincuntur, sed etiam ipsemet sua scelera coram judicio spon-

te confitentur ; tunc enim partes judicis non aliæ esse videntur, quàm ut sententia trans-  
eat in executionem , nisi fortè aliquo effi-  
caci remedio impedita fuerit. Agamus hic  
de crimine furti.

### De Furto.

**F**urtum est malitiosa , vel fraudulenta  
rerum alienarum in scio , & invito Do-  
miniô facta amotio. Jus commune addit  
in definitione furti, quòd illud sit jure na-  
turali prohibitum : nec sine causa ; cum &  
in Decalogo exstet Præceptum DEI de non  
furando in his verbis : *non furtum facies.*  
Lex autem Naturæ dicitur non esse facien-  
dum alteri , quod quisque sibi fieri nolit ;  
nemo autem mortalium vellet res suas sibi  
se invito auferri , & surripi. Dicitur item  
Jus Naturæ , unicuique id , quod ipsius  
est , reddendum , qui verò rem alterius sur-  
ripit , non reddit , imò è contrario eripit,  
quod ipsi deberetur. Est etiam axioma  
Juris : *nulli mortalium licere cum damno alte-  
rius locupletiover fieri ;* at verò , qui rem  
alteri eripit , vult locupletari cum damno,  
& præjudicio tertii : est itaque dictamini  
Juris naturalis contrarium , rem alterius  
invito Dominò auferre.

Dixit Cicero : *contra naturam esse nos esse  
aliorum*

*aliorum spoliis locupletes reddi. Officiorum*  
 Libro 3.

*Sed quid est Jus Naturale.*

**D**Ixerunt aliqui, ac inter illos Cicero, illud esse summam rationem, in natura rationali jubentem honestum, & prohibentem honesto contrarium. Alii verò eandem rem sic exprimunt: *Esse rectam rationem legem mentiri nesciam*; quæ non ab hoc, aut illo mortali mortalis, non in chartis, aut columnis, exanimis exanima, sed corrumpi nescia, quippe ab immortalis natura insculpa in immortalis intellectu. Alii dicunt jus Naturale esse Legem, quam DEUS, ut author Naturæ omni hominum menti insedit ad discernendum honestum à turpi, hoc vetando, illud verò jubendo. Hæc ergo est Lex Naturæ dictans abstinendum esse alienis. Ex Textu hujus Juris desumitur altera lex: *suapte Naturâ sancta, atque Divina ea est, quæ semper, & ubique alienis abstineri jubet, neque vero aut verbò, aut factò, aut arcanis animi cogitationibus contrariari sinit.*

Pœna furti varia, est Bonorum surreptorum valori non rarò proportionata: Patrio enim Jure, qui rem valoris unius floreni surripuerit, præter resarcitionem damni 100. denariis mulctabitur: si autem idem fur secunda

cunda vice rursus seipsum furti crimine reum fecerit, iterum mulctetur 100. denariis, damnūque resarciat, & Ecclesiæ reconcilietur. At verò si etiam tertia vice furti crimine se obstrinxerit, & saltem rem valoris 100. denariorum surripuerit, patibuli reus erit. App. Const. Part. 3. T. 47. A. 2. Qualiter verò per suos gradus Jus Patrium pœnam furti distingvere soleat, ex hoc eodem Articulo videre est: interim pœna illud crimen patrantium hæc est: ut fur ab infelici arbore pendeat, prout innuit tam præcitatus Appr. Textus, quàm etiam Decretum Trip. P. 1. T. 15.

*Habet hoc crimen suas species, & quidem:*

1mò. **S***acrilegium*, quod est furtum rei sacræ tam è sacro, quàm etiam profano loco commissum.

2dò. *Peculatus*, qui est publicæ pecuniæ dolosa contractio ab eo, cujus fidei commissa est.

3tiò. *Plagium*, quando aliquis hominem dolò malò surripit, vel vendit, emitque.

4tò. *Abigeatus*, qui committitur, quando aliquis Pecora ex armentis, vel pascuis alienis surripit, vel subtrahit.

Quæ-



Quæri potest hac occasione : utrum fur famelicus debeat infelici arbori suspendi ? quod sic videntur præcitatae Leges jubere : expressè enim sancitur Decreti Trip. P. I. T. 15. Furem patibulo reum esse. Pro cuius notitia observandum : supponi debere illum, de quo quæritur : ad tantam fuisse necessitatem redactum, ut necessariò fame perire deberet, nisi manum suam pro acquirendo Pane in rem alterius extenderet : quò suppositò dicendum, eum, qui in tali casu bona alterius arriperet, ne quidem furem dici posse, tantum abest, ut patibulo reus pronunciari posset. Pientissimus Rex David extendit manum suam fame permotus ad Panes propositionis. Discipuli Domini JESU Christi spicas Sabbatho velliebant, ut famem exstinguerent ; sed nec Rex David, nec Apostoli tali suò factò peccâsse dici possunt. Rerum namque indigentiaè invicta succurrere solet necessitas, fitque recursus tali in necessitate ad primævum Jus Naturæ, quo jure omnia redeunt ad primævum rerum statum, fiuntque communia, & sic unicuique integrum manet jus Naturæ ad accipiendum, vel arripiendum ea, quibus extremè indiget, quibusque vitam suam conservare possit ; quælibet enim res, & præprimis creatura rationalis, per naturam in id propendet, ut quantum in

se est, se ipsam conservet: est enim natura omnis sui conservatrix; si enim omnia Jura, tam Divina, quàm etiam humana, salvam relinquunt unicuique in casu extremæ necessitatis sui defensionem, quare etiam non liceret in eadem summa necessitate constituto pro conservatione Vitæ panem è rebus alienis, ut insciò, & invitò Dominò arripere, nulla ratio videtur obstare; imò sana ratio videtur præcipere, ut vitam suam quis conservet, quocumque modò fieri poterit; ubi enim eadem est ratio, ibi etiam jus idem esse dignoscitur. At verò casu in præallegato eandem subesse rationem inde patet, quia utrumque perire necesse esset, si Patrocinio juris naturalis se ipsum defendere non liceret: interim ulteriorem rei hujus tractatum ad alios Authores remittimus; undè uberius ejus Natura indagari possit.

*Exemplum - vel Idea Criminalis Actionis  
in Filiali Sedria.*

**C**AUSA Egregii T. de T. Inclyti Comitatus T. Processus T. Vice-Comitis, ratione officii sui ut A.

Contra, & adversus Proydum T. Jobbagyionem Egregii T. de T. in portione sua possessionaria in Possessione T. Inclytòque

loque Comitatu T. existente habita com-  
morantem, ut Inctum.

Pro A. Procurator T. de T. per quem  
penes Protestationem sic proponit.

Inctus Annô præfenti T. Die T. Men-  
fis T. ex possessione T. & stabulo Provi-  
di T. ibidem, & Comitatu T. Vicinita-  
tibus ab una T. Patribus item altera T.  
existente habita ejusdem Providi T. equum  
sub tacitæ noctis silentio tertio se (de quo-  
rum nominibus pro nunc protestor) insciô,  
& infalutatô, ac invitô hospite auferre, &  
sic manifesti furti criminis reum se efficere  
non esset veritus, prout nec ipsemet taliter  
commissum furtum negare posset, vel si  
negare auderet, eò, quod ejusmodi Male-  
factores sæpius recurrunt ad illam iniquita-  
tis regulam: *si fecisti, nega*: si, inquam,  
negaret, concessa mihi ratione officii, ea-  
tenus à legibus ad proximè affuturum Ter-  
minum judicarium exmissione, offero me  
legitimis documentis, & Testibus fide di-  
gnis, adeoque in judicio plenam fidem ha-  
bentibus edoctrum, & solide comproba-  
turum, quòd Inctus cum suis complicibus  
præscriptum equum locô, & tempore præ-  
notatis furto abstulerit, & sic crimine furti  
contra Inctum solide edoctrô, & comprobato;  
petô primum equum quidem restitui, ex post

verò Inctum pœnâ suspendii puniri ad mentem legum Patriæ Decret. Trip. P. 1. T. 15. Item Appr. Const. P. 3. T. 47. A. 2. & 18. alibique passim.

*Deliberationis Exemplum.*

**A**ctor in præsentî actione produxit Testes, tametsi Ignobiles, alioquin fide dignos numero decem, quorum nonnulli fatentur se vidisse, omnes verò, & singuli, præstitô prius solemni, & firmissimô juramenti Sacramentô lucidissimè ex certis circumstantiis scire, imò Testes quatuor, utpote T. T. T. & T. dicunt ex ore ipsiusmet Incti audivisse, Inctum tempore, & locô in actione denotatis equum in eadem actione memoratum inscio, & invito illo, ad quem pertinuisset, sub tacitæ noctis silentio abstulisse, quibus ita in judicio sana cum Deliberatione ruminatis, accitôque ipso Incto in hujus Sedriæ præsentiam, & interrogatô, utrùm accusati criminis reus esset, primum quidem videbatur in suis dictis vacillare, nihilominus, ubi urgentius de tali crimine interrogaretur, & examinaretur, fassus est coram judicio, se frustra suum factum negare; ille enim esset solus, qui equum specificatum è loco, & tempore in actione declaratis inscio hospite,



te, absque ullo criminis socio abstulisset, & ideo accedente ad fassiones præscriptorum Testium, ipsius quoque Incti propriâ Confessione judiciali, visum est iudicio eundem Inctum primò quidem furtò ablati equi restitutione teneri, & postea ob manifesti furti crimen infelici arbori juxta Textus juris Patrii ab Actoria parte in actione allegati tenorem, suspendendum in exemplum aliorum malefactorum, præsentis vitæ usurâ privari, & hæc de jure, & justitia.

Quæritur hic, utrum Inctus modò præscriptò convictus, & sententiâ judicum gravatus possit de jure uti beneficio novi Judicii simplicis? affirmatur ob sequentes Rationes.

*imo.* Quia clausula Mandato novi Judicii simplicis inferi solita, v. gr. Cum autem universi casus nocivi, & errores litigantium in iudicio, qualitercunque emergentes, præsentem quoque casum complectitur, & ipsa etiam ratio, vel fundamentum, ex quo litigantes ad petendum mandatum novi iudicii simplicis, utpote: quod Procurator causæ ex simplicitate, & inanimadvertentia rationes, & argumenta, nec non Documenta, ac Textus Juris ad Defensionem causæ pertinentes in medium proferre omisisset, ob hoc contra Inctum grave nimis, & onerosum iudicium pronuncia-

tum extitisset; hæc inquam ratio & fundamentum hoc perinde potest hunc casum, ac alios afficere, ac proinde remedium novi Judicii Inſto denegari non potest.

2dò. Quia si Nobilibus in simili causa licet recurrere ad remedium Novi Judicii simplicis, nulla videtur ratio ob quam Ignobilibus recursus ad idem remedium permitti nequiret, tametsi enim ignobiles Nobilibus sint conditionis longè deterioris, cum tamen in hoc casu non esset alia lex lata, cui causæ ignobilium inniti deberent, directè consequitur, etiam causas Ignobilium huic legi attemperandas esse. Divino enim, & Naturali Jure Ignobiles quoque æquè sunt homines, æquè obnoxii erroribus; Imò si rem altius rulinemus, cum de illorum vita, & sanguine disceptatur, siquidem & illi ad imaginem Dei sint creati, non minori cum sollicitudine in illorum causis, quàm in negotiis Nobilium, tamque accuratum examen requiritur, ad illorum, quàm Nobilium causas discutiendas. Avertat itaque Deus Clementissimus, ut ignobilibus hoc in puncto Novum Judicium, quòd omni Mortalium concedi solet denegetur. Si enim illis facultas ad hoc remedium recurrendi denegaretur, & ideò in proba illos deficere, & per consequens etiam perire contingeret, nunquam posset Judicium conscientie-

scientia in quiete, & tuto esse; quod nimirum universale hoc remedium illis ideotantum, quod ignobilis sortis essent, denegatum fuit. Pono enim pro dilucidatione causæ talem casum: Producti sunt in iudicio contra Inctum aliqui Testes, causam suis testimoniis aggravantes, contra quos Inctus fundatas habuisset, proposuisset in figura Juris exceptiones, illas tamen non nisi penes remedium Novi Iudicii simplicis edocere potuisset, ideoque denegato illi hoc iudicio, necesse esset illum in probatione exceptionum suarum deficere, & exoptimum etiam supplicium forte sustinere, cujus supplicium in tali casu non nisi Iudicibus adscribi posset, ex eo, quod illi novum iudicium, id est, ordinarium à jure indultum probandi, & defendendi medium denegatum esset; incumbit autem Iudici ferri, & accuratè providere, ne aliquis ex ejusmodi defectibus à Iudice causatis ultimum subeat supplicium. Prologi T. 15.

Informationis causâ suppono, in præscripto iudicio, & deliberatione septem duntaxat & non plures Iudices interfuisse; jam verò pono casum, quod præscriptum Inctum duo Iudices absolvisset; alii verò duo verberibus tractandum pronunciassent; tres verò gladio feriendum judicassent;

Quomodo Notarius Sedriæ ponderabit hæc vota? siquidem enim voces sunt discrepantes? Utrum è tribus erit majus votum; dicendum, illorum voces, qui absolverunt, & qui ad verbera condemnârunt, in eo, ne moreretur conveniunt, quatuor itaque erunt, qui ipsius morti non consenserunt, tres verò, qui ultimo supplicio plectendum judicârunt, & sic majus votum erit, ne moriatur Inctus. Sed adhuc quæritur: inter hæc vota, quorum unum Inctum absolvit, alterum verberandum esse decrevit, utrum est concludens. Dicendum: placuisse Juris-Consultis in tali causa sententiam mitiorem concludere, ob rationem; quia jura semper proniora sunt ad absolvendum, quàm ad condemnandum.

Pono rursus alium casum. Sunt in aliquo collegio novem Judices, tres aliquem condemnant in viginti, tres in decem, tres verò absolvunt; utra sententia hic vicerit? In hoc quoque casu concluderunt Juristæ, vincere sententiam condemnantem in decem ob rationem; quia denarius numerus continetur in vicenario; vota itaque hunc immodum non solum numeranda, sed etiam in iudicio ponderanda esse justitiæ, & æquitatis ratio requirit.



## CAPUT XXIII.

*De Particulari Sedria, quam usus vocat Partialem.*

**H**Æc Sedria est locus, vel Forum exercendarum Litium, in quo soli Nobiles tam agunt, quam patiuntur, Actorumque, & Inctorum vices suplent.

Prædicatum *Particularis* accepit hæc Sedria tam ex natura objecti, vel causarum eò deducendarum, quam etiam ex respectu, quem habet ad Generalem Sedriam: sicut enim propositiones ob additam particularitatis notam vocantur *particulares*, quibus autem Universalitatis nota additur, illæ *Universales*, vel *generales* dici consueverunt. v. gr. *omnis homo est animal rationale*, est Propositio Universalis; cum autem dicimus: *aliquis homo est rationalis*, erit particularis propositio. Sic etiam sub notione *Particularis* Sedriæ illud Forum, vel Judicium debet intelligi, cujus cognitioni nonnullæ duntaxat causæ substernuntur, ita ut ejus facultas ad illas tantum causas sit restricta, quarum objectum duntaxat circa summam centum florenorum occupatur, sive illa summa præcisè in pecunia, sive verò in aliis rebus mobilibus, vel verò in æstimatione alicujus rei, vel actûs tantundem valente

lente consistat; & quia aliquas duntaxat causas hæc Sedria complecti soleat, ideo etiam particularis rectè potuit, potèstque dici.

Unde sumpsit hæc Sedria originem? sicut Filialis Sedria frequenti usui, & exercitio Judiciario, ita etiam hæc Sedria eidem fundamento debet suam originem. Et quidem videntur homines summa æquitate, & justitiâ eò permoti, ut hanc Sedriam per frequens Judiciorum exercitium introducerent. Cùm enim generales Sedriæ non tam frequenter potuêrunt institui, ideo publicæ utilitatis ratio hujus Sedriæ introductionem requirebat, in qua causæ quidem fortè minoris momenti, sed in Civili societate frequenter occurrentes revideri, & discuti possunt.

*Quinam sunt Judices in hoc Judicio?*

**T**Am Judices, quàm etiam judiciorum Præsides in hoc Foro illi sunt, qui in Filiali Sedria, cum hac differentia: ut in cæteris Comitatus in corpore hujus Principatûs existentibus singulis particularibus Sedriis singuli supremi Judices præsent; in Comitatu autem de Kùküllô ex vetusta consuetudine huic Sedriæ utrique supremi Judices interesse solent.

Quales causæ in hoc foro soleant moveri? & utrum Criminales æquè, ac Civiles hic agitari possint, vel debeant? Ordinariè in hac Sedria non nisi Civiles causæ solent, ac debent moveri. Apparet hoc ipsum vel ex eo: quod aut Nobilium causæ Criminales hic verti deberent, aut verò Ignobilium: *Nobilium* non; quia illorum immediatum forum quoad causas Criminales propriè deberet esse in Inclyta Tabula Regia, vel fortè etiam in Generali Sede. Sed neque *Ignobilium*: jam enim vidimus, illorum causas criminales, vel ad forum Dominale, vel verò ad filialem Sedriam pertinere directè, & sic consequitur hanc Sedriam non nisi civilium casuum objectum recipere. Dixi autem *Ordinariè*: tametsi enim in aliquo Comitatu aliquando res fortè aliter eveniret, idipsum bono ordini judiciario, & rerum toties rectè judicatorum authoritati præjudicio esse non posset.

Quàm latè se extendit hujus Sedriæ Jurisdictio, & authoritas? Ut jam jam dicebatur, non ultra centum florenos in Capitali summa, & non in accessionibus, aut damnorum illatorum refusione, rem, vel causam considerando, ita, ut si capitalis summa (accessionibus huc non computatis) centum florenos excedat, hic tractari non posset,

posset, sed debebit causa ad competentem Instantiam remitti, adeoque limitata hujus Sedriæ authoritas elucet ex jure Patrio App. Const. P. 4. T. 7. A. 1. & 2.

Quamvis enim sub conceptu inferioris Sedriæ in hoc textu ex primæva legum interpretatione Generalis Sedria intelligebatur, & quidem inferior dicebatur relatè ad superiorem, Inclytam nempe Tabulam Judicariam, postea tamen usus evicit, ut hic loci notio inferioris Sedriæ ad hanc particularem Sedriam restringi deberet.

Præscriptio itaque argumentò moti homines, virtute judicariæ praxis minoris etiam potentiaæ actus, ac alios casus, quorum pœna ex mente legum centum florenorum summam in capitali non excederet, ad hanc Sedriam retulerunt, & idcirco jam ex vetustissima Consuetudine ejusmodi causæ in hac Sedria solent moveri, stante tamen hac re in arbitrio causantium: Utrum præscriptos casus in particulari, vel verò in Generali Sedria inchoare velint; omnium enim illorum casuum, qui nunc ex antiqua consuetudine in particulari Sedria tractantur, generalis Sedria pro competenti Instantia haberi potest, si cui nimirum placuerit causam suam ibi inchoare; litigantes enim non nisi compendium litium suarum sectaturi,  
nimi-



nimirum : propter spem ocyoris decesionis causas suas in Particulari Sedria instituunt.

Exemplum Processus judicarii in Particulari Sedria instituti , & quidem ex fundamento legum Patriæ Approb. P. 4. T. 1. Art. 11. & 12. in casu diffamationis, vel læsi honoris penes Instructionem sic procedendum.

### *Instructio.*

**N**obilis T. de T. Nobilem T. de T. secundum Jura , & leges Patriæ citari carat ad octavum Diem , à die hujusmodi citationis computandum juxta brevem Judiciorum Processum aliàs in similibus causis observari solitum ratione prævia coram latius declaranda in particularem Sedriam Inclyti Comitatus T. processus inferioris , ex eo : quia prælibatus T. in anno T. die T. Mensis T. in possessione T. Domoque nobilitari Nobilis T. de T. Comitatuque T. vicinibus ab una T. & ab altera Partibus T. existente habita , nescitur , unde motus coram nonnullis Personis Nobilibus, ut & Ignobilibus , præscriptum T. absque ulla legitima causa injuriosis verbis ( hic deberent formaliter describi verba injuriosa ) affecisset ejusque honorem graviter læsisset , in Nobilitaris ipsius prærogativæ , & integritate

tegræ famæ , ac honestatis , legumque Patriæ super non lædendo aliorum honore sancitarum præjudicio , & Protestatur Solemniter.

Penes hujusmodi Instructionem ab officio , & secundum Leges procedet Judex Nobilium , dabitque super tali Processu literas , ut vocamus , Relatorias , quibus mediante Actore instituat actionem tali modo.

Causa Nobilis. T. de T. ut Actoris.

Contra Nobilem T. de T. ut Inctum.

Pro A. Procurator T. de T. per quem solemniter præmissâ protestatione , exhibet Literas Relatorias super citatione legitime confectas , & proposuit hunc in modum : Penes Processum citationis hanc ob causam Inctum in Jus vocavi , quia idem non attemptata Legum Prohibitione , ubi cautum , sancitumque haberetur , ne quisquam alterius cum primis Personæ Nobilis honorem lædere ausit , & pertentet , contra manifesta jura tempore , & loco in præattactis literis Relatoriis super citatione legitime confectis luculenter expressis , injuriolis verbis , prout Literæ Relatoriæ super citatione confectæ declararent , me innocentem , & nihil tale merentem affecit , honorémque meum graviter læsit in nobilitaris meæ Prærogativæ , ut & integerrimæ famæ , legumque  
præ-

præjudicium, quod nec ipse negare potest, & ego ad edocendum quomodo, & qualiter, quando, & ubi honorem meum læserit, promptum paratūque me defacto offero: si verò præter spem meam Inctus institutam actionem negaret, concessâ mihi à jure eum in finem legitimâ exmissione, per puncta, & partes legitimè, & efficaciter actionem meam in Termino hujus Sedriæ proximè affuturo edocebo, quâ legitimè edoctâ, & comprobatâ peto honorem meum publicè in figura hujus judicii mihi per Inctum mediante Palinodiâ publicè restitui, & præterea eundem ad exemplum aliorum in pœna læsi honoris ad mentem Decret Trip, P. 1. T. 72. cum refusione expensarum in hanc litem insumptarum judicialiter convinci, sententiâque in legitimam executionem deduci. A. in reliquo protestatur, & refert se ad leges Patrias, seriêmque præscriptarum Literarum super citatione Relatoriarum,

Proposita tali actione, si Inctus à Judio absens fuerit, feretur contra ipsum sententia per ipsius non venientiam, licebitque illi per quemcunque eodem die, quo sententia fertur, dum horâ vespertinâ Sedria solvetur, prohiberi facere sententiam apud Notarium,

*Quid est actus Prohibitæ?*

**E**st remedium, quô sententia eodem ipso die, quo per comparitionem Incti fertur, nomine ejusdem Incti apud Notarium prohibetur.

*Quæ sunt hujus Remedii essentialia?*

**P**rimò : Ut Inctus sit absens à judicio.  
 2dò. Ut alius illius nomine prohibeat sententiam. 3tiò. Ut sententia illo ipso die prohibeatur, quo fertur; altera die licebit extradare sententiam. 4tò. Stante totius diei Sedriâ non est consultum sententiam prohibere; ratio est, quia toto illo die, si Inctus per se, aut Procuratorem legitime constitutum comparuerit, habet jus defendendi se; neque constat, antequam Sedria vesperi dissolvatur, utrum compareat, nec ne? 5tò. Ut fiat prohibita in prima Instantia & in prima assumptione, vel levatione causæ. 6to. Vi legum data est facultas prohibendi absque omni onere, & pœna. 7mò. Tanta est vis Prohibitæ, ut illâ institutâ Notarius non habeat jus extradendæ sententiæ. 8vò. In una causa semel duntaxat permittitur Prohibita, uti in brevi processu,



& quidem verbaliter tantum, & non penes Literas prohibitorias, quæ omnia leges, & Jura Patriæ indaganti manifesta sunt, ut inter cætera videre est, App. Const. P. 4. T. 1. Art. 18.

Modus autem prohibendi talis est: *Ego banc sententiam prohibeo.* Notarius verò Protocollo sic inscribit: *Prohibita Eodem die.*

Adveniente demùm pròximo Terminò judicario post assumptionem causæ, & factam prohibitam, quid faciendum Actori?

Continuabit suam Causam modo sequenti.

Causa continuata Nobilis T. de T. ut Actoris contra Nobilem T. de T. ut Inctum, & prohibentem. Pro A. Procurator T. de T. per quem præmissâ solemni protestatione petit Prohibitam Incti in hac causa institutam de jure annihilari, priorémque sententiam in vigore relinqui, ac debitæ executioni demandari, & protestatur.

Quid si Inctus secundo etiam Terminò judicario, dum causa post factam Prohibitam assumetur, non sit præsens? Dabiturne Incto facultas secundâ etiam vice prohibendi sententiam? Non dabitur in brevi processu, ut est actio læsi honoris ex mente præcitati. Art. 18. P. 4, T. 1.

Ergo iterum feretur sententia per & propter non venientiam Incti, manebitque prius Deliberatum in vigore?

Datur tamen Incto in præmissis casu remedium inhibitionis.

*Quid est hoc Inhibitionis remedium?*

**E**st beneficium Juris, quo, cum Inctus ex legali causa impeditus ad Judicium venire non potuit faciet recursum ad Cancellariam, vel Officium Proto-Notariatus, & inde excipiet Literas novi Judicii Inhibitionales, quibus mediantibus inhibet Judices, ac alios legitimos quosvis executores ab executione latae, ac etiam pro parte, & ad instantiam Actoris extradatae sententiae.

*Quid est discriminis inter Prohibitam & Inhibitionem?*

**I**d scilicet inter caetera, quod Prohibita non permittit extradari sententiam; Inhibitio vero cum novo datur Incto post extradatam, nondum vero executam sententiam, & sic Prohibita extraditionem, Inhibitio vero executionem extradatae sententiae impedit, & suspendit.

*Quæ sunt Essentialia Inhibitionis cum  
novo expeditæ ?*

**P**rimò : Ut is illo remedio utatur , sive fuit usus Prohibitæ , sive non , contra quem sententia Judicis propter non comparitionem lata , etiam extradata , nondum tamen executioni demandata est.

Secundò : Non verbaliter , sicut solet esse in negotio Prohibitæ , sed per modum , & formam mandatî juxta consuetum stylum debet expediri hoc novum Inhibitionale dictum.

Tertiò : A tempore extradatæ sententiæ , usque dum executâ fuerit , etiam illò ipso die , quî executioni præfixus est , ante tamen executionem licebit hoc remediò uti.

Quartò : Judices tali remediò , tanquam mandatò legitimò obstricti sunt obtemperare , tenenturque cessare ab executione sub Pœna articulari , sive non obtemperationis legitimi mandatî.

Quintò : Dirigitur hoc Mandatum ad illos Judices ordinariè , qui Sententiam tulerunt , sed quoniam aliis quoque concessit Jus Patrium facultatem Sententias Judicum exequendi , Prudentiæ erit hunc Stylum

si c formare ; ut generaliter tam ad hos Judices , quam etiam alios legitimos quosvis Executores tenor Styli se extendat. v. gr. hunc , vel similem in modum.

*Vellet vos , ac alios quosvis legitimos Executores à præscripti Deliberati , vel Sententiæ Executione inhiberi facere jure admittente.*

Sextò : Non est in usu ordinariè , ut super processu hujus Inhibitionis Judices Literas Relatorias conficiant , sed sufficit impeditam fuisse executionem sententiæ vi hujus mandati.

Septimò : Inhibentis officio incumbet Partem actoriam virtute hujus Inhibitionis ( non quidem citari ) certificari facere vi Instructionis illi exhibitæ in illam Sedriam , ubi sententia lata est sequenti modò.

### *Instructio.*

**N**obilis T. de T. Prius Causa in præfenti Inctus , nunc verò penes Literas suæ Sacratissimæ Majestatis novi Judicii Inhibitionales Actor , Nobilem T. de T. Prius Actorem , nunc verò penes præattactas Literas Inhibitionales Inctum , virtute earundem Literarum Novi Judicii inhibitionalium certificari facit in particularem Sedriam Inclyti Comitatus Processu  
infe-



inferioris ad *svum* Diem, à die hujusmodi certificationis computandum juxta brevem judiciorum Processum aliàs in similibus causis observari solitum, ratione præviè coram latius declaranda, super eo: quia dum modernus Inctus, antea verò *A.* modernum Actorem ex illa ratione, ut idem prætenderet, quòd eundem injuriosis verbis affectisset, ipsiusque honorem juxta suam prætensionem graviter læsisset, in dictam *Sedriam* citari curasset, ibique per non venientiam moderni Actoris, tunc lecti grave nimis, & onerosum judicium contra eundem pro parte, & ad instantiam moderni Incti pronunciatum fuisset; vellet itaque modernus *A.* virtute mentionatarum literarum novi Judicii inhibitionalium omnem suum defectum, ob quem contra eum sententia pronuntiata fuisset, secundum jura, & leges in eadem *Sedria* supplere, ac actionem per modernum Inctum contra eundem omnino in præfata *Sedria* institutam, sive per legitimas exceptiones, sive verò per responsionem in merito, prout Defensionis ratio exegerit, ex fundamento rationum ex Legibus Principatûs depromptarum evertere, & invalidare. Protestatur modernus *A.* & refert se ad Jura, & tenorem Literarum novi Judicii inhibitionalium.

*Ubi habent hæc Fundamentum ?*

**P**Ræter continuum usum Judicarium, fundantur hæc in ipso Stylo, & ipsis denique patriæ Legibus App. Const. P. 4. T. 1. A. 13. 14. 17. & 21. ac in aliis.

Post factam autem hujusmodi certificationem, is, qui pro tunc Actor erit, talem instituet Propositionem.

Causa Nobilis T. de T. prius Incti nunc verò penes Literas suæ Sacratissimæ Majestatis Novi Judicii inhibitionales Actoris, contra & adversus Nobilem T. de T. prius Actorem, nunc verò penes mentionatas Literas Novi Judicii inhibitionales Inctum.

Pro moderno A. Procurator T. de T. per quem exhibet Literas Relatorias super certificatione penes Literas suæ Majestatis inhibitionales legitime confectas; & solemnè præmissâ protestatione dicit.

Instituerat superioribus diebus modernus I. contra me, uti quidem prætendebat in causa læsi honoris in hac Sedria Actionem, & quia ob legales rationes neque per me ipsum, neque per Procuratorem legitime constitutum comparere poteram in Judicio, idcirco grave nimis, & onerosum Judicium fuit

fuit contra me in eadem Sedria in Possessione T. Comitatusque T. Anno T. Die T. Mensis T. celebrata, pronunciatum. Sed quoniam modernus Inctus non habebat jus me in hac Sedria conveniendi; ratio: quia Actor debet sequi forum rei, hoc verò judicium pro Foro agnoscere non possum, siquidem non sum subjectus huic Jurisdictioni, & Judicatu, Peto me absolvi ab impetitione moderni Incti, antea verò Actoris cum pœna indebitæ vexationis, & expensarum refusionis; Causamque ad competentem instantiam remitti Jultitia dictante. Modernus A. protestatur, & refert se ad Leges Patrias, seriémque Literarum Novi Judicii inhibitionaliū.

Poterit verò talis A. seipsum, sive per exceptionem, sive in merito jure defendere ad mentem Literarum inhibitionaliū, & Legum App. Const. P. 4. T. 1. A. 21.

Præmissa omnia de Literis Novi Judicii inhibitionalibus dicta, obtinent in casu, dum, & quando Inctus à Judicio abest; quando verò præsens est, tunc post factam legitimationem Procuratoris, excipit imò. si rationes fundatas habuerit contra forum, postea contra Actoratum, & dein contra Processum. Datur enim omni Incto à Jure facultas ex mente App. Const. P. 4. T. 1.

*A. 30.* tribus exceptionibus utendi ante responſionem in merito; Nam poſt factam ad ſubſtantiam, vel meritum Cauſæ reſponſionem, ad ſimplicem exceptionem vi Axiomaticis Juristarum *non licet regredi*; ſi verò per exceptiones cauſa non condeſcendat petet exmitti ad futuram Sedriam tali modo; I. in merito petit exmitti ad comprobandum juſ ſuum in bonis liti ſubſtratis habitum, & proteſtatur.

Tunc ſi Actor voluerit, pariter petet exmitti pro comprobandâ intentione ſua; Utraque enim pars litigans habet juſ petendi exmiſſionem, App. Conſt. P. 4. T. 1. A. 13. & 19.

### Quid eſt Exmiſſio.

**H**ic loci per exmiſſionem intelligitur illud reſpirium, vel juſtum temporis intervallum, quod Juſ Patrium indulget petenti, ut uſque ad ſequentem terminum Sedriæ de mediis, & instrumentis legitimarum probationum proſpiciat, juxta præcitatam legem App. Conſt. P. 4. T. 1. A. 13. 19. Et cum partes litigantes exmiſſionem petunt, hoc ipſo Lis conteſtata eſſe dignoſcitur.



## De Litis Contestatione ?

CUM frequens sit mentio in Jure Contestationis litis, ea huc referenda esse videtur.

## Quid ergo est Contestatio Litis ?

EST responsio Incti ad propositionem Actoris, in merito negando actionem, vel affirmando : quod hic notari velim ; Utsi terminus Litis contestationis occurrerit, possint Tyrones Juris intelligere, quid veniat sub notione illius Termini, & quomodo debeat intelligi ? nunc prosequar Exmissionem, & ejus accessoria.

In Termino probationi præfixo Utra partium tenetur probare suam intentionem, & prætensionis fundamentum ?

Actor tenetur solide edocere, & comprobare suam propositionem ; quia secundum omnia jura : *Actori incumbit proba* ; si enim accusasse sufficeret, & affirmans, vel actor suam propositionem edocere non teneretur, misere vexarentur mortales, & peccaretur in justitiam, quæ dictat, neminem esse lædendum ; At in tali casu graviter læderetur Accusatus, si Accusans ab onere probandi

bandi immunis esse posset, & ideo dicitur  
 Juris Axiomá: *Actore nihil, vel sufficienter  
 non probante, rerum absolvendum esse.*

*Quæ est hujus rei ratio?*

**Q**uia Rei favorabiliores sunt in jure,  
 quam Actores. Jura enim semper  
 proniora sunt ad absolvendum; quam con-  
 demnandum; semper enim major potiùsque  
 habenda est ratio æquitatis, quam stricti  
 Juris; estque in Jure consultius absolvere,  
 in casu dubio nocentem, quam damnare In-  
 nocentem. Quivis enim est innocens, nisi  
 contrarium solidissimis rationibus ex ipsius  
 rei, aut Legis Natura, Sensu, & Visce-  
 ribus erutis fuerit comprobatum.

*Quid est probare in Jure,*

**P**robatio est actus judicialis, quo Judicium  
 de casu dubio, & controverso per  
 legitima, & efficacia documenta, testesque,  
 & argumenta sufficientia, fit fides.

Sed quomodo, & quibus mediis id fieri  
 possit; vel debeat?

Literalibus instrumentis legitimè emanatis,  
 aliisque (ut statim dicetur) efficacibus  
 documentis, argumentis item, & Testibus  
 legi-

legitimis, ac idoneis, & exceptione majoribus.

Instituitur probatio aliquando per ipsum factum, quæ omnium probationum videtur efficacissima, ut exemplo est: dum quis in loco delicti apprehenditur, non secus: si aliquis peccet coram Judice pro tribunali sedente, ad mentem Prologi decretalis T. 16. tale factum habetur pro sufficienti, & evidenti proba.

Sicut enim Conclusio non nisi ex perspicuis, & evidentibus Præmissis inferitur, ita etiam se res habet in proba judiciali; quia hic etiam ex evidentibus, & omnem dubietatem excludentibus præmissis deducitur efficax proba.

*Quot verò testes ad plenam probam, & certitudinem requirantur?*

**L**icet, ut jam dictum est, ad probam requirantur testes idonei, & omni exceptione majores, contra quorum integritatem, & fidem nemo possit jure excipere, quòsque lex ipsa ad probandum admittit; sed quot præcisè testes efficiant tantam certitudinem, cui Judex in conscientia acquiescere, ac hujusmodi certitudinis evidentia motus, res dubias, & controversas tute decidere possit? Jus Nostrum testium numerum non usque adeò definit, dicit qui-

dem : ut in casu, dum masculinus sexus prætendit bona quædam fœmineum sexum non concernere, Literasque superinde efficaces non habuerit : tunc 50. Nobilium Personarum Juramentô causam pro se obtinebit. Ut habet *Trip. P. 1. T. 37.* in fine. Rursus *P. 2. T. 32.* Quod plenam probam faciant 24 testes, scilicet idonei ut indigitat *T. 27.* omninô *P. 2.* ex quibus sequi videtur, quòd secundum Jus Nostrum Proba Judicialis sit difficillima : Quis enim tot præcisè testès idoneos, & omni exceptione majores pro comprobanda assertione sua invenire posset? ita, ut etiam in justissima causa, propter inopiam testium in proba deficere debeat. Ob hanc causam Decius de actionibus *Libro 4. T. 29.* ex *Quadripartito P. 3. T. 49.* deducit in actibus majoris potentiaë requiri 12. Testes Nobilitari prærogativa gaudentes; In actibus verò minoris potentiaë sex duntaxat personas ad plenam probam sufficere ait, ea lege : ut pro qualitate rei, & interdum juxta definitionem Judicis in actibus minoris potentiaë Ignobiles etiam pro Testibus admittantur contra Nobilem indigitantibus. *T. 27. & 33. P. 2.* Dummodo sint Testes idonei, utque sæpius inculcatum, omni exceptione majores; & tam in Civili, quàm verò criminali causa, & actione proferantur probationes



bationes omnem dubietatem superantes adeoque sole, ut dici solet, meridiano clariores; legitima enim probatio est de essentia iudicii, perinde uti ex parte Incti legitima defensio indispensabiliter spectat ad ipsam iudicii formam, neque ullum iudicium, si modò sit justum, & rectum absque his duobus, nempe: legitima probatione, & defensione concipi, nedum existere potest

In præmissis quidem habetur ad plenam, & sufficientem probationem tam in Civili, quam verò maxime in criminali causa requiri testes omni exceptione majores, quos nimirum jura, & leges ad Testimonium admittant. Sed qui sint Testes ejusmodi, de eo nihil est prorsus definitum.

Mihi sic videtur illos dici, & esse Testes omni exceptione majores, quos Leges admittunt ad ferendum Testimonium; Verum & hoc est nimis generale. Nondum enim, scio, qui sunt isti; quos leges admittunt ad dicendum Testimonium: sic ergo dicendum videtur: omnis homo pleni, perfectique iudicii, & probatae fidei, sive honestæ famæ, & conditionis, Præprimis: si Nobilitari prærogativa gaudeat: admittitur à lege ad dicendum Testimonium, estque is Testis omni exceptione major, quia contra eum nec ratione ætatis, aut Iudicii

nec famæ objici potest, quo minus ordinariè Testis esse nequeat, exceptis casibus in lege denotatis. Sic Puer ante 12. ætatis suæ Annum, non est habilis ad proferendum Testimonium ob judicii infirmitatem; ita furiosi, mente capti propter exilium rationis; infames propter bonæ existimationis privationem, & similes arcentur à proferendo Testimonio.

Sed quid judicandum de iis, qui successione in aliquibus Bonis habent? ut & de iis, qui inimici sunt invicem?

Primi non admittuntur; quia propria ipsorum causa esse censetur, & nemo in propria causa ordinariè Testis esse potest; Inimici etiam jure Civili non admittuntur, quia affectibus illos regi manifestum est, & sæpè etiam cum periculo salutis ipsorum, illis, quos oderunt nocere intendunt: Domesticos quoque Testes, quibus imperari potest, ut Testimonium proferant, vel non proferant; ut & servos, qui Dominicæ potestati subjecti sunt, jus civile arcet à Testimonio: sed in eo est difficultas, qui intelligi debeant nomine domesticorum? in eo enim Juristæ vix conveniunt: mihi sic videtur: sit domesticus, sit servus, si modò sit Nobilis, & perfecti judicii admitti debet ad proferendum Testimonium, excepto: si sit filius,  
aut

aut Frater, quos successio æqualiter spectat, tunc enim in jure pro una Persona habentur, & gravis ratio subest, cur non admittantur ad Testimonium dicendum: censetur enim esse causa propria. Notum quoque est Judices in causis, in quibus jus dixerunt, & advocatos, in quibus clientibus patrocinium præstiterunt, Testes esse non posse. Reliquos, qui à testimonio proferendo per leges arcentur, videre est apud Civilistas: Nam jus nostrum, quas requirit qualitates in Testibus, expressè meminit Trip. P. 2. T. 27: & 33. in his Textibus Juris clarè simul habetur: quòd jus nostrum in Testibus sequentes qualitates requirat; *imo.* Libertatem, ut Testis liberè, & non coactè fateatur. *2do* ætatem. *3tio.* modalitatem. *4to* Conditionem. Utrum nempe Testis sit Nobilis, vel Ignobilis. *5to.* Depositionem juramenti: absque eo enim vix est, ut credi possit Testium dictis; unde & istæ Personæ, quæ Sacramento juramenti se ipsas ad legitimam executionem obstrinxerunt, non aliter possunt esse testes, nisi proferant Testimonium fide illa, & integritate; quæ seipos ad officium obligatos noverunt.

Hoc non omittendum: quod duo, vel tres Testes omni exceptione majores, Jure

& Divino, ut & humano olim sufficiebant ad perfectam probam tam in Civili: quàm in criminali causa: sed dum charitas inter homines refrixit, plures Testes videntur debere requiri.

Hic enim opus est summâ prudentiâ, qua quivis perspicere possit, qui possint esse Testes in judicio habiles, & idonei? sed quia non solum Testibus, sed & argumentis opus est ad perfectam probationem; Quæ: & qualia argumenta hic requiruntur?

Ea, & talia; quæ ex rei natura effectis, & proprietatibus, ut & è jure legibus, consuetudinibus, contractibus legitimè initis, Pacto, Transactione, Testamento, Confessione judiciali in figura judicii facta, aliquando, & ipso juramento Partium juxta Judicis determinationem, ac aliis quibusvis Literis, & literalibus instrumentis in lege, & æquitate fundatis eliciuntur. Quò referri potest etiam ipsa communis Inquisitio, & oculata revisio.

### *De Præsumptionibus.*

**Q**uid itaque dicendum de Præsumptionibus? utrùm illæ solæ ad perfectam probam sufficiant? quæ quæstio, ut inteligi possit, præmittendum.



Præsumptionem describi per conjecturam ex natura, vel qualitatibus, aut circumstantiis rei controversæ elicitam: solet poni in triplici differentia, utpote: quòd sit *vehemens*, *probabilis*, & *temeraria*; alii aliter dividunt, dicunt enim; aliam esse hominis, vel Judicis; aliam Juris. Simpliciter sic dicti; aliam autem Juris, & de Jure; Hominis, vel Judicis illam dicunt, quam Judex ex circumstantiis causæ controversæ antecedentibus, concomitantibus, & consequentibus deducit. Juris illam, quæ pari jure ex iisdem Principiis elicitor, ut dum supponimus quemlibet esse sanæ mentis, Juvenes viribus, Senes ratione, prudentiâ, & consiliô pollere, Minorenes in libertatem esse profusos, & ut plurimum prodigos; senes parcos, & avaros. Ita quilibet supponitur esse bonus, nisi probetur contrarium; nam in bonum virum non cadit suspicio: præterea à fortibus non nisi fortes creantur: *neque enim imbellem progenerant aquilæ columbam*; ita Prædium, quodvis ex primævo suo statu liberum, & actio quævis honesta esse præsumitur.

Præsumptio Juris & de Jure non tam potest dici conjectura, quàm legis, aut affectionis alicujus naturalis dispositio; uti dum ignem ibi dicimus, unde fumum exire prospici-

prospicimus. Porrò si causas præsumptionum indagemus, causa efficiens erit ratio probabilis, qua Judex, aut leges motæ, aliquid in talibus causis concludunt.

Causa materialis, sunt signa, indicia, circumstantiæ, & variæ qualitates rei controversæ.

Objectum circa quod occupatur, sunt res controversæ, & actiones dubiæ juridicæ.

Forma est varia pro varietate objectorum, & maximè: quòd quantumvis vehementes sint, tamen in causa criminali non inferunt sufficientem probam; Judex enim ex iis solis ultimò supplicio aliquem punire non potest, ut expressè docet Kittonics C. 6. Quæst. 7.

Finis Præsumptionis est, ut sit probabilis, aut vehemens onus probandi aliquando transferat in adversarium. Patet itaque præsumptiones quidem in judiciis multum valere, & ex iis plurima argumenta, & rationes posse deduci ad dilucidationem causæ controversæ: neque tamen sunt tantarum virium, ut ex iis solum, ut mox dicetur, absque Testibus omni exceptione majoribus Judex aliquem ultimò supplicio afficere possit; ubique enim locum habet melius esse aliquot nocentes absolvere, quàm unum innocentem condemnare.

## De Juramento.

**J**uramentum etiam videtur esse medium probationis, solet enim finem imponere causis controversis.

In quantum autem juramentum pertinet ad decisionem litis, triplex esse asseritur.

Primò : *voluntarium*, quod Pars parti defert, non approbante Judice.

Secundò : *Judiciale*, in specie sic dictum, quod pars Parti defert, approbante Judice.

Tertiò : *necessarium*, quod alterutri Partium ab ipso Judice defertur; & si Judex hoc juramentum ad supplendam probam auctori deferat, *suppletorium*; si verò Incto ad sui expurgationem, *Purgatorium* dicitur; nunquam enim, nisi in defectu legitimarum probationum, alicui deferri debet.

Ratio evidens est; quia leges in propria causa ordinariè neminem in testem admittere solent: unde juxta nonnullos summi judicii Juristas, excipiuntur causæ criminales; & quidem sic rem expediunt; quòd actore semi-plenè duntaxat probante, poterit Judex Incto juramentum purgatorium deferre, ut hoc medio ab im-

petitione actoris absolvatur, sed vice versâ, Actori in hoc casu non potest deferri juramentum suppletorium: rationem assignant quia in his causis requiruntur probationes plenissimæ, & ut dici solet: luce meridiana clariores, ut habet jus commune in Codice lege finali de probationibus; neque aliter aliquis incriminalibus convinci poterit, nisi vel ipsemet in iudicio crimen objectum sponte confiteatur, vel verò sufficientibus, & idoneis, omnique exceptione majoribus testimoniis objectum crimen contra illos probatum sit. Constat enim Juramentum suppletorium non esse tale, quale requirunt criminales causæ, utpote, quæ dubio casui, tantam lucem affundunt, ut Judicum conscientia nullius absolutè scrupulus super dubietate rei in controversiam deductæ amplius injici possit, adeoque clarissima probatione Judices moti dubium casum absque hæsitatione decidere valeant.

Perinde etiam in causis famosis, ut & nonnullis Civilibus, valde arduis, quæ ad criminales casus proximè accedunt, illisque æquiparari possunt; sed neque in Matrimonialibus potest securè præprimis actori ob metum perjurii Juramentum suppletorium adjudicari: de quibus possunt consuli tam Canonistæ, quàm etiam Civilistæ, proximus



mus autem eruditissimus Compillator Juris  
Tirocinii in *Tit. 32. Dec. Trip. P. 2.*

Quòd verò tutius est Incto Juramentum  
purgatorium deferre, graves habet rationes  
& quod fundamentum rei est, fundatur in  
jure sacro. *Exod. 22. v. 10. 11.*

*De Recognitione.*

Conceptus Recognitionis dicit nudam  
duntaxat cognitionis apertionem, cui  
de stricto jure in judicio fides dari non  
solet, eò quòd destituatur principio, cui  
fides inniti posset, si quidem omne testimo-  
nium, cui in foro contradictorio credi pos-  
set, vel deberet, recipi solet. Primò per  
personas fide dignas, & in illis locis, ubi  
res agitur, bona possessionaria proprio, &  
non uxorio jure possidentes.

Secundò. Non aliter testimonia recipiant,  
nisi ad mandatum suæ Majestatis, idque ea  
lege, ut si persona privata, vel etiam si  
alicujus Cancellariæ Notarii extiterint, No-  
mina eorum mandato inscribuntur; si verò  
Officiales locorum, vel Assessores, aut  
Notarii, vel Secretarii fuerint, sufficit ra-  
tione officiorum suorum mandatis insertos  
esse.

Tertiò: Sed neque ipse Testis tenetur  
aliter fateri, aut Testimonium proferre,  
nisi

nisi si fuerit Nobilis, ad Mandatum Regium, Ignobiles autem etiam ad commissiones officialium Judiciarias.

Quartò. Ut superius dictum, solenni juramento mediante Testis fateri debet: simplex autem Recognitionio his requisitis destituitur; non enim ad Mandatum suæ Majestatis, vel commissionem Judiciariam, sed ultrò; & sponte, neque juramento, verum simplici attestazione mediante, neque absente exponente, sed potius ad ipsius requisitionem instituitur, ideo in judicio vim non sortitur, ultroneum enim Testimonium sæpius suspicionem involvit: hinc est, quòd ipsa etiam transumpta simplicia, absque mandato requisitorio expedita non valeant  
P. 2. T. 15.

Dices: Recognitionem præannotatam, ex quo per Clausulas, *bonafide, in veritate, in conscientia* conciperetur, omnino efficacem esse in omni judicio: verum istæ Clausulæ, non sunt formulæ Jurandi, adeoque absque juramenti depositione de stricto jure illis vix potest credi; ad ipsius enim testimonii firmitatem, magnum, imò omne pondus addit depositio Juramenti P. 2. T. 27.

Dices porro: Sacerdotes fatentur ad puritatem Conscientiæ P. 2. T. 40. verum hoc illis solis est concessum intuitu officiorum

rum non autem aliis, ut patet ex eodem textu. *P. 2. T. 40.* Et in casu, si Sacerdotes tale juramentum non observarent, pœnam perjuri incurrerent.

Dices porro: subsistunt Officialium relationes, & recognitiones, ita quidem, si recognitionem instuant hoc vel simili modo: *Recognoscimus sub juramento, quo ad officium obstricti sumus; talis recognitio est firma, & efficax; in casu enim contrario infert pœnam perjurii Decretalem.*

Adhuc Judices de illis quoque rebus, & casibus, quæ, & qui coram illis verti solent, strictè loquendo non aliter possunt cum effectu juris recognoscere, nisi modo superius declarato, ut sensus sit: referimus hanc, vel illam rem sub illo juramento, quò ad officium nos obstrinximus.

Concludendum itaque simplicem assertionem, nec privatarum personarum, nec Officialium posse effectum sortiri, nisi formale juramentum præcesserit; sufficit autem Judices semel jurasse, & postea omnia testimonia secundum semel præstitum Juramentum referre, & recognoscere.

*De Collaterali Inquisitione, vel Attestatione.*

**H**Æc Attestatio, quamvis penes Mandatum Regium Inquisitorium, rectè, & juxta legum Patriæ requisita peragatur, nihilominus cum primis ratione criminalium casuum non plus operatur, quam soli duntaxat informationi Judicum videtur fundamentum sternere, idque eo sine, ut facta ulteriori indagine veritas magis erui queat sed ad hanc solam in Criminalibus ultimo supplicio puniri nemo potest, ut docet Kittonics: C. 7. *Quæst. 11.* nisi fortè lege Patriæ in aliquibus casibus huic collateral attestationsi locum esse decrevissent, ut videtur factum inter cæteros casus *Approb. Const. P. 3. T. 47. Art. 17.*

Consultius itaque fuerit ratione casuum criminalium in coram, & ex judicio præstituenda formali Inquisitione facultatem cuivis littiganti petere.

*De Communi Inquisitione.*

**H**Æc inquisitio, prout Jus Patrium, ejusque usus judiciarius recepit, tunc maximè habet locum, dum, & quando Judæ productis in foro Contradictorio Patriæ instru-



instrumentis nulla legitima, & sufficienti ratione, & per nulla media, potest sententiam eruere, & ideo eruendæ veritatis finæ, aliquando ipsis etiam partibus consentientibus, aliquando autem sive consentiant, sive non, nihilominus ad eruendum è perplexis dubiis id, quod verum est, & non rarò ad fulciendam Judicum conscientiam ipse Judex communem inquisitionem decernit, in qua puncta Interrogatoria, sive Articuli positionales: vulgò *utrum vocati*; eadem, & non diversa, aut à se invicem indistincta debebunt esse, & iidem Regii pro utraque parte, unòque & eodem in loco, & tempore inquisitionem peragent, & ad judicem competentem suò modò referent. Consulatur Jus Patrium Decret. Trip. P. 2. T. 27. 31. & 32. Kittonics C. 6. Quest. 2. 3. 4.

### De ocula Revisione.

Solet institui hæc Revisio in faciebus rerum, aut bonorum, vel verò locorum controversorum, & ideo efficaciam obtinet in judicio, si modo legitime instituta fuerit, ut habet jus Trip. P. 2. T. 41. item Kittonics C. 7. Q. 2. 3. 4. 5. & 6.

## De Literalibus Instrumentis.

**C**onceptus Instrumentorum Literalium de-  
notat ordinariè scripturam ad facien-  
dam fidem idoneam. Rectè scriptura ad  
fulciendam humanam memoriam, utpote  
maximè labilem, inventa est.

Estque vel *publica*, vel *privata*: prior  
est, quæ per publicam manum ritè & ius-  
ta legum requisita, absque vitio conficitur  
& quæ in vitia in Trip. Part. 2. Tit. 17  
enumerata non incidit, plenam fidem for-  
titur.

Privata, quæ per manum privatam ela-  
boratur; quæ etiam suis viribus non desti-  
tuetur, si saltem duorum testium omni ex-  
ceptione majorum testimoniò, subscriptione  
& sigillis sub fide nobili roboratur. Sim-  
plicia exempla talium Instrumentorum, nisi  
originalia producantur, aut in Capitulis  
Conventibus, penes Mandatum requisito-  
rium, vel verò suæ Majestatis, Tabulæ  
Regia penes proclamationem transumpta  
extradita extiterint, in foro contradictori-  
um, & valorem nullum habere possunt  
Decr. Trip. P. 2. T. 15.

## De Argumentis.

Argumenta in jure sunt magni, & præcipui usûs, & quidem à contrariis sumptum censetur esse firmum, & validum; quia contrariorum quoad cognitionem idem debet esse judicium: Unò enim Contrariorum cognitò cognoscitur, & alterum, ut v. gr. si sciam, quæ sint causæ justæ, facile etiam cognoscere potero, quæ sint injustæ; Rectum enim est Judex obliqui, ita si potero indagare, quænam personæ sint alieno Juri subjectæ, eo ipso etiam cognoscam, quænam sunt sui, & non alieni Juris. Verùm præmissa ratio valet, tantum quoad contrariorum cognitionem, non verò quoad effectus; solent enim contraria contrarios effectus producere. Argumentum à Majori ad minus est firmum, v. gr. Sanctus Paulus Apostolus agnoscit se esse peccatorem; ergo ego eo fortiùs teneor meam imbecillitatem, & me magnum peccatorem agnoscere; hic enim cum primis habet locum. *Nosce teipsum.*

Argumentum etiam aliquando à minore procedit, si utriusque majoris æquè, ac minoris eadem sit ratio, vel si argumentum negativè, & non affirmativè proponatur. v. gr. qui non est dignus munere Senato-

rio , is utique & Consulis officio indignus cenfetur.

Argumentum porrò à fufficienti partium enumeratione rectè concludit ; ut ; fi dixerò , Cajum nec per fucceffionem ex testamento , neque ab inteftrato , utpote neque univerfali , neque particulari Titulo , neque per Contractum , neque per aliam Juris difpofitionem , poffeffionem alicujus rei à defuncto accepiffe ; ergo nullo jufto , & legitimo Titulo illum rem talem poffidere poffe.

Argumentum denique ab Etymologia defumptum firmum non eft , nifi fortè negativè proponatur , v. gr. non eft testatio mentis , ergo non eft Testamentum : affirmativè autem non concludit. v. gr. eft testatio mentis , ergo eft testamentum. quia Donatio etiam , ac alii Contractus funt testatio mentis , neque tamen funt testamentum : & quoniam Etymologia fit generalior Etymologato , féque habeat tanquam genus ad speciem , ideo ficut de genere ad speciem non procedit argumentum v. gr. *eft animal* , ergo etiam *eft homo* ; quia potest effe irrationale animal , fic neque valet Argumentum ab Etymologia Vocis ad ipfum Etymologatum affirmativè petitum , fed negativè valet : v. gr. *non eft animal* , ergo *non eft homo* , quia à quo removetur genus , ab illa etiam fpecies quævis removetur.



## De Confessione Judiciali.

Confessio propria in, vel coram judicio contradictorio facta confitentem obligare solet, dixit Cicero; si ergo habemus confitentem rem, censetur talis probatio probata, & longè fortior illâ, quæ sit per testes, & instrumenta; nemo enim præsumitur aliquid, maximè in criminalibus, & quidem coram judicio temerè contra se confiteri; ideo propria confessio Incti in foro contradictorio facta vim mille testimonium, & virtutem, rei judicatæ habet.

Judicialis Confessio triplex est: primò spontanea: secundò metu torturæ: & tertio in ipsis tormentis facta. Priorem efficacem esse, reliquas duas fide destitui, aliqui Juristæ asserunt. Sunt tamen, qui nequidem priori confessioni, quamvis in judicio, & contra se factæ plenam vim tribuunt, argumentò *Lib. 1. Paragraph. 17. Pandectarum*, de quæstionibus in hæc verba. *Confessiones reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla alia probatio cognoscentis Religionem instruat.* Ut ergo Judex cum summa prudentiâ, & pietate in talibus versetur, officii ipsius, ut & omnium actuum coram Deo redendæ rationis consideratio satis evincit. Et hæc

de modis, & medijs Probationum aliquantulum adumbrasse, plura verò, & altiora ingenii defæcatis uberius cognoscenda relinquere hac vice sufficiat.

Postquam verò terminus judiciarius post exmissionem advenerit, Actor causam suam continuabit, Levatamque taliter dictabit.

Causa penes exmissionem continuata Nobilis T. de T. ut Actoris, Contra Nobilem T. de T. ut Inctum.

Pro A. Procurator T. de T. & penes exmissionem producit Literas, & Literalia sua instrumenta, aliisque documenta quibus efficaciter comprobatur actionem suam, quâ probatâ petit iudicium juxta priorem Levatam.

Inctus similiter se per Procuratorem legitimum faciet hunc in modum. pro I. Procurator T. de T. & dicit cum protestatione, cum Actori incumbat probare suam actionem, idcirco Inctus protestatur, super facultate excipiendi contra documenta Actoris, & postea si ratio defensionis ita exegerit, suas quoque Literas, & Literalia instrumenta, aliisque Documenta, pro sui Defensione producendi, maneat ipsi iudicium salvum, & protestatur.

Productis demum ex utraque parte documentis, & in judicio digestè ruminatis, si hujusmodi documenta legitimè emanata esse compertum fuerit, & propter hujusmodi legalitatem in judicio validitatem habuerint, ac proinde per alterutram partium subverti non poterunt, feretur juxta earum tenorem; & quidem, si Actoris literæ efficaciores, & vallidiores fuerint, Pro parte ejus contra Inctum sententia, hunc in modum.

Partium Litigantium productis accuratissimè examinatis, & perpenfis, quoniam ex productis Actoris lucidissimè constaret, quod Inctus Actorem loco, & tempore in literis Relatoriis, super citatione legitime confectis luculenter expressis, nihil prorsus mali merentem, verbis injuriosis, & in Literis Relatoriis clarè specificatis affecisset, honorèmq; ipsius graviter læsisset, idcirco visum est Juri, in totali Actione, & acquisitione Actoris convictum haberi, & quidem ea lege, ut statim, & defacto hic in figura Judicii per officiosissimam deprecationem, & Palinodiam publicè restituat Actoris honorem; ex post verò fiat executio bonis ipsius Incti, ad mentem legum Justitia exigente.

Notandum hic, licere utrique Partium Novo Judicio simplici uti; si igitur Inctus hac sententia gravatum se judicaverit, tali-

ter procedet. Inctus protestatur solenniter in hac causa de remedio Novi Judicii simplicis.

Et postea Literas, novi Judicii simplicis Exhibitam, scribi faciet, & intra 60 dies à die factæ protestationis computando, penes remedium Novi Judicii simplicis certificari curabit partem in judicio Victricem, modò mox declaratò.

*Instructio Certificationis talis esse solet.*

**N**obilis T. de T. in Cauſa præſenti antea Inctus, nunc verò penes remedium novi Judicii simplicis Actor, Nobilem T. de T. prius Actorem, nunc verò penes præattactum novi Judicii simplicis Remedium Inctum, virtute Literarum ſuæ Sacratiffimæ Majeſtatis Novi Judicii simplicis certificari curat, juxta breuem judiciorum proceſſum, alias in ſimilibus Cauſis obſervari ſolitum, ratione præviâ coram latius declarandâ, ad octavum diem à die hujusmodi certificationis computando in Sedriam partialem Inctyti Comitatus T. proceſſus T. ſuper eo, ratione actus læſi honoris, uti quidem modernus I. prius verò A. prætenderet, penes Citationem contra modernum A. inſtituerat actionem in præfata



fata Sedria partiali : & dum post exmissionem à jure concessam , documenta utrinque in judicio producta , & acuratissimo examini subjecta , perpensa , & ruminata fuissent , ex allegatis , & partium productis contra modernum A. tunc ex eo , quia in certis probationum suarum mediis , ac documentis , quæ ad sui defensionem in medium producenda habebat , in judicio defecisset , tunc pro parte lucti , nunc verò Actoris in præfata Sedria annò T. die T. mensis T. in possessione T. Comitatuque T. existente celebrata grave nimis , & onerosum judicium pronunciatum exstitisset ; cum tamen , si idem modernus A. tunc verò I. hujusmodi defectibus præpeditus non fuisset , sperasset se pro sui defensione , efficacissima documenta , & testes omni exceptione majores in judicio proferre , ac proinde longè aliud judicium à jure pro se obtinere potuisse , prout posse speraret etiam de præsentis. Ut igitur hujusmodi defectibus suis in tempore succurreret , usus est hac in causa remedio novi Judicii simplicis , cujus virtute omnem suum defectum , propter quem in Judicio gravatus esset , in termino judiciario dictæ Sedriæ proximè affuturo secundum jura , & leges Principatus supplere , ac illa omnia , ad quæ à jure , Legibus , & mandato novi Judicii

simplicis facultatem haberet, pro sui defensione peragere vellet. Modernus A. refert se ad præattactas Literas novi Judicii simplicis, & protestatur solenniter.

Procedet V. Judex Nobilium penes hujusmodi instructionem, & concedet partibus superinde Literas relatorias in forma legitimè emanatas, quarum virtute in termino Judiciario tunc primitus affuturo proponet in figura Judicii, & dictabit Notario Sedriæ ad calamum hujusmodi Levatam.

Causa Nobilis T. de T. antea Incti, nunc verò penes Literas Novi Judicii simplicis Actoris, contra, & adversus Nobilem T. de T. prius A. nunc verò virtute dicti novi Judicii simplicis Inctum.

Pro moderno A. Procurator T. de T.

Et modernus A. exhibet Literas Relatorias super certificatione penes Literas suæ Sacratissimæ Majestatis Novi Judicii simplicis legitimè confectas, & cum solenni protestatione proponit hunc in modum.

Certificari curavi in medio unius Vice-Judlium in hanc Sedriam modernum Inctum, qui prius Actor erat, hanc ob causam, quia, prout ex Literis Relatoriis super certificatione in hac Causa legitimè confectis,

&

& nunc in figura Judicii cum ipsis literis Novi Judicii simplicis exhibitis manifestè eluceret, ex eo, qui in productione documentorum, quæ pro mei defensione in medium proferre debueram, defecissem, convictus, & aggravatus eram in hac Sedria, in Possessione T. Die T. Mensis T. Anno & Comitatu T. existente celebrata; unde grave, & onerosum Judicium contra me fuerat pronunciatum, cum verò juxta Leges Patrias unicuique liceret virtute novi Judicii simplicis defectus suos, in quantum in productione documentorum; vel testium in judicio ob commissum hujusmodi defectum defecisset, supplere, ac semel in melius reformare, ob hoc omnem meum defectum, propter quem in judicio gravatus fueram virtute Literarum suæ Sacratissimæ Majestatis Novi Judicii simplicis supplere volens produco Literas meas, & Literalia Instrumenta, aliâque efficacissima documenta, quibus mediantibus solidissimè edoceo, me ratione prætensi actûs læsi honoris moderni Incti esse prorsus innocentem, cum lucidissimè dabo demonstrandi per septem circiter testes Nobilitari prærogativa gaudentes, ac proinde omni exceptione majores me in loco eo, & tempore, ubi, & quando actus læsi honoris commissus esse prætenditur, non fuisse præsentem; & quia actus

prætensi honoris præsentiam alicujus necessario requirit ; ideo in mei absentia talem actum committere non potui ; peto ergo virtute Novi Judicii simplicis me ab impetitione moderni Incti , antea verò Actoris , cum pœna indebitæ vexationis , aut temerariæ litigationis , ac refusionis expensarum in hanc litem factarum , absolvi. Modernus A. refert se ad seriem Literarum Relatoriarum super certificatione legitimè Confectarum, ut & Novi Judicii simplicis. Et protestatur solemniter.

Tunc & alterius partis Procurator seipsum legitimabit hunc in modum.

Pro moderno I. Procurator T. de T.

Et quia modernus A. tenetur virtute Novi Judicii simplicis suam propositionem comprobare , idcirco protestatur modernus, Inctus , liceat sibi contra omnia moderni Actoris producta lege permittente contendere , ea quidem lege , ut , si Juris ratio ita postulaverit , habeat Jus demonstrandi actionem suam in ipsa Justitia , & veritate esse fundatam. Et protestatur.

Hoc modo allegatis , & productis Partium in judicio assumptis , & ventilatis , si compertum fuerit , propositionem Actoris non fuisse fundatam in justa prætensione , e



contra verò moderni Actoris antea Incti Actionem penes Novum Judicium simplex institutum Juri, & Justitiæ esse per omnia consonam, tunc pronuntiabitur hunc in modum.

Ex quo pars illa, quæ in hac causa Novò Judiciò simplici usa fuisset, idoneis testibus solidè, & evidenter edocuisse, se illo tempore, & loco, ubi & quando actus læsi honoris commissus esse prætenderetur, præsentem non fuisse, imò tunc in alio loco eundem cum nonnullis Nobilibus in publicis Incti Comitatus Negotiis occupatum extitisse; idcirco ab impetitione Actoris cum pœna indebitæ vexationis, si-ve temerariæ litigationis, & refusionis expensarum in hanc litem factarum convictus pronuntiatur, & ut hæc sententia per legitimam Executionem debitum finem for- tiatur, definitur lege, & justitiâ requirente.

Hic jam pars per hujusmodi deliberationem convicta, habet jus ex duobus alter- utrum faciendi, ut nempe, vel recursum: habeat ad remedium Novi Judicii simplicis: utrique enim parti litiganti semel hoc reme- dio uti per leges licitum est, modo illo, quem jam in præmissis monstravi: vel verò, si sic placuerit, promovebit Causam per appellationem tali modo, Modernus I. qui

ob id, quia in eadem Sedria contra præscriptum T. ratione prætensi Actûs læsi honoris actionem instituisset, & licet postquam ex Responsionibus Partium, Causa ad meritum devenisset, idemque T. ob rationes in judiciaria Deliberatione clare expressas pro convicto habitus, & pronunciatus esset; quoniam verò novo Judicio simplici usus penes hujusmodi Novum Judicium, fundatas in lege rationes allegasset, & testes idoneos produxisset, quòd nimirum ille, tempore illo, dum actus læsi honoris commissus esse prætenderetur, in alio loco, in Libera, Regiâque Civitate T. cum aliis Nobilibus è gremio Inclyti Comitatus eapropter deputatis, in publicis dicti Comitatus negotiis constitutus, & repertus fuisset, comperta idcirco defensionis ipsius veritate, pars altera juxta definitionem Sedriæ pro temere litigante habitus in pœna indebitæ vexationis, & refusionis expensarum convictus esset, prout hæc omnia ex tenore ipsius judiciariæ Deliberationis lucidissimè constare dignoscerentur, vellet itaque idem T. judicariam hujusmodi Deliberationem ad mentem legum & signanter App. P. 4. T. 10. A. 1. ipso octavo hujusmodi certificationis die in legitimam executionem in Bonis dicti T. Possessione T. & præfato Comitatu T. existente, habitis peragendam deducere, & protestatur solenniter.

Ipsò

anteà fuit A. appellat causam præsentem cum tota sua seriè, & processibus maturioris revisionis, & sanioris discussionis gratiâ, eò, quò mos, & consuetudo hujus Sedriæ antiqua requirit.

Et quia causæ super prætensione læsi honoris motæ appellationem admittunt, ideo etiam parte altera contra appellationem contendente jure transmittitur: si autem pars convicta, nec novo judicio utetur, neque etiam per appellationem in superiorem Sedriam provocabit, tunc sententia in executionem deducetur. Ad App. Const. P. 4. T. 10. A. 1.

Quid ergo faciendum illi, qui pro se sententiam habet?

Incumbit ipsi, ut juxta modò citatam legem penes sententiam curet certificari partem alteram tali modò.

Nobilis T. de T. Nobilem T. de T. certificari facit ad octavum diem, à die hujusmodi certificationis computando secundum jura Patriæ, modumque aliàs in similibus causis observari solitum super eo, quatenus præscriptus T. in Sedria Partiali Inclyti Comitatus T. Processus T. Anno T. die T. Mensis T. in Possessione T. & præfato Comitatu T. existente celebrata,

ob

Ipsô demùm 820. certificationis die, is, qui pro se sententiam habet, procedet cum Vice-Comite, & supremo Judium præsentibus vicinis secundum præcitatam legem ad executionem, quam si admiserit convictus, peragetur. Executio in Bonis ipsius mobilibus; iis verò non existentibus vel non sufficientibus, etiam immobilibus ad mentem Comp. Const. P. 4. F. 15. A. 1.

At verò si executionem legitimam in judicio convictus repulsione impediverit, provocabitur rursus penes certificationem in illam Sedriam; ubi sententia lata est ad reddendam rationem repulsionis modò subnotatò.

*Exemplum Certificationis ad reddendam Repulsionis rationem.*

**N**obilis T. de T. qui in hac causa prius fuit Inctus, postea verò penes remedium Novi Judicii simplicis Actor, Nobilem T. de T. prius Actorem, nunc verò penes præscriptum Novi Judicii simplicis remedium Inctum, & convictum penes certificationem provocat in Sedriam Inclyti Comitatus F. Processus T. ad octavum diem à die hujusmodi certificationis computando, juxta leges Patrias, modum aliàs in similibus causis observari solitum, ratione prævia coram latius declarandâ ad reden-



reddendam repulsionis rationem: cum enim modernus Actor Judicariam Delibetationem præscriptæ Sedriæ super negotio luculenter ibidem declarato, Anno T. Die T. Mensis T. in bonis dicti T. convicti in possessione T. & Comitatu T. existentibus, habitis contra præfatum modernum I. penes legitimam Executionem debito effectui mancipare voluisset, idem T. convictus hujusmodi legitimam executionem violenta repulsione impedivit, & sufflaminavit cum damno moderni Actoris, & in legum, ac judicariæ Deliberationis præscriptæ Sedriæ præjudicium. Et protestatur solemniter.

Peracta tali Certificatione, tenebitur V. Judex Nobilium super hoc processu Literarum Relatorias ad requisitionem Partium concedere; penes quas modernus Actor proponet in Sedria subsequenti hunc in modum.

Causa continuata Nobilis T. de T. nunc Actoris, prius verò virtute sæpe mentionati Novi Judicis simplicis Incti contra, & adversus Nobilem T. de T. prius Actorem, nunc verò penes idem novum judicium simplex, Inctum, & repellentem.

Pro moderno A. Procurator T. de T. per quem præmissa solenni protestatione primùm, & ante omnia petit deponi, & in paratis perfolvi onus Repulsionis; postea  
verò

Prout superius quoque hujus rei meminimus, per Officiales Comitatum, Sedium, ac Civitatum, taliter, & eò modò, ut V. Comes tanquam à Legge definitus Judiciarum deliberationum Executor, supremus autem Judlium pro sufficienti, & fide digno testimoniò præsentibus Vicinis, & Commetaneis executionis actui intersit. App. Const. P. 4. T. 10. A. 1. Quamvis Juristæ observaverint ex antiquis annotatis; vel Glossis Juridicis, ejusmodi Judicarias deliberationes mediò etiam Juratorum Tabulæ Regiæ Scribarum peractas extitisse, ita quidem, ut deliberationes executionali mandato virtualiter inscriptæ, penes eas dicti Scribæ, in executione processerint, & si Repulsionem intervenisse contigisset, eo in casu Scribæ subsistebant; & repellens per V. - Judlium penes certificationem ad reddendam Repulsionis rationem provocabatur eò, ubi Sententia lata erat. Hastenus de Processu in Particulari Sedria instituto, & remediis Juris in quavis Sedria frequentius occurrentibus.

## CAPUT XXIV.

### *De Generali Sedria.*

**H**anc Sedriam Generalem velut cæterarum Sedriarum Matrem, ita appellari patet,

verò Judiciariam hujus Sedriæ deliberationem, cujus executionem idem Convictus per repulsionem sufflaminâset, in vigore relinqui, ac per legitimam Executionem debitum suum finem consequi, cum refusione expensarum ex non admissa executione causatarum.

*Ex parte Incti instituitur legitimatio  
tali modo.*

**P**RO moderno I. & repellente Procurator T. de T. per quem præmissa solenni protestatione deponit onus repulsionis, & quia legales haberet repulsionis rationes, petit onus restitui, assignâtque rationes, quæ si in jure fundatæ erunt, feretur pro illo sententia; sin minus, manebit in vigore prior judiciaria Deliberatio, & sententiæ concipietur tali modo.

Cum modernus Inctus, & repellens in reddenda repulsionis ratione defecisset, ideo amittit onus repulsionis, manetque in vigore hujus Sedriæ judiciaria deliberatio, quæ, ut per legitimam executionem cum refusione expensarum debitum finem sortiatur, jus, & justitia requirit.

Per quos solent sententiæ inferioris Sedriæ Judicum in executionem deduci?

Prout

patet, vel ex respectu, aut relatione quem, vel quam habet ad particularem Sedriam, & quidem.

Primò. ratione Præsidis, Judicum: hic enim utriusque circuli, vel processûs Supremi, & Vice-Judium, ut & Vice-Comites cum cæteris Assessoribus, & Notario, Totâ denique universitate Dominorum Magnatum, Comitum, Baronum, & Nobilium Inclyti Comitatus sub Præsidio Supremi Comitis interesse solent, idque ea lege: ut absque Supremo Comite, tanquam totius collegii, vel universitatis Capite, & ambobus Judicibus Nobilium hæc Sedria ordinariè celebrari non possit; Quare etsi alteruter tantum abfuerit, quamvis tota Nobilium universitas intersit, Sedes tamen judiciaria, ut vulgò dici solet, manca erit. Sed ne quidem Vice-Comites, nisi fortè boni publici ratio exigeret, hinc abesse, vel exesse poterunt.

Secundò: ratione Authoritatis: hæc enim Sedria in causis, tam ratione mobilium, quam etiam immobilium rerum, & Bonorum, ac jurium possessionariorum motis, illimitatâ, & indefinitâ judicandi facultate gaudet: ideo omnes illi Casus, quorum meminit jus Patrium in Ap. Const. P. 4. T. 1. Art. 11. huic



huic Judicio ad mentem immediatè subsequenti 12. Articuli substernuntur.

Tertiò: Ratione Juris distinctionis, vel juris gladii: nam particularis Sedria hujus Juris activitatem non habet. Filialis autem Sedria pro objecto Juris gladii solos Ignobilis conditionis sceleratos agnoscit; Generalis verò Sedria etiam in Nobilitaris Conditionis facinorosos ipsorum demeritis exigentibus gladium stringit, adeoque omnes casus criminales, exceptis pœnam Notæ infidelitatis inferentibus, Hæc Sedria habet pro formali objecto. App. Const. *Par. 4. T. 47. A. 1. 2. 3. 4. 14. 15. 17. 18. 20. 21.* & alibi passim.

Quartò: ratione Acquisitionis Bonorum immobilium etiam Aviticorum perennali jure abalienatorum, ut & Concambii; horum enim omnium intuitu in hac Sedria legitime prætendentes competenter agere possunt, exceptò eò: quòd si fortè in aliqua causa Privilegii productio requireretur; talis enim causa directè ad Inclytam Tabulam Regiam spectat. Appr. Const. *Par 4. T. 1. A. 12.*

### Exemplum.

Q Uerulosi Processus in App. Con. *Par. 3. T. 8. A. 1.* fundanti, & penes certificationem in Generali Sedria moti.

Casus

## Casus talis est.

**P**ossedit Mævius fundum Nobilitarem  
 Cornelianum dictum in Possessione  
 T. Vicinitatibus ab una T. Partibus item  
 ab altera T. Inclyto Comitatu T. habi-  
 tum jure avitico intra justum temporis spa-  
 tium pacificè, ac nemine ejusdem possessio-  
 nem interpellante, vel impediante: proximis  
 autem diebus, utpote: Annò præsentis. 1742.  
 Die T. Mensis T. Sempronius, nescitur  
 unde motus, præscriptum Mævii fundum  
 Nobilitarem, cum nonnullis interessatis,  
 merâ, & absolutâ potentiâ mediante occu-  
 pâset, ipsumque Mævium, quâ ejusdem  
 fundi directum Dominum, & Proprietarium  
 è possessione ejusdem fundi in Nobilitaris  
 prærogativæ, ut, & Legum præjudicium  
 per vim dejecisset. Quæritur, quomodo in  
 hoc casu procedendum? Poterit pars læsa,  
 si poterit, & voluerit Potentiarium de Bo-  
 nis per vim occupatis intra Annum pari  
 violentiâ ejicere. *Par. 1. T. 63.* Si verò aut  
 non possit, aut etiam ob legitimas rationes  
 nolit, tunc ei tam penes querulosum, quàm  
 etiam longiorem Processum, querelam, vel  
 causam suam prosequi licebit. Verùm quo-  
 niam querulosus Processus est via recta, ad-  
 æoque brevissima, consultius erit pro celeritate  
 juris

juris sui consecutione ex fundamento præcitati Textûs juris App: Const. P. 3. T. 8. querelam suam promovere hunc in modum.

## Instructio.

**N**obilis T. de T. Nobilem T. de T. penes certificationem in jus vocat ad *8vum* Diem, à die hujusmodi certificationis computando, secundum jura, & leges, signanter ad mentem App. Const. P. 3. T. 8. A. 1. juxta brevissimum querulosum processum juris, aliàs in similibus causis, & querelis observari solitum, penes querulam, & humillimam Instantiam in Sedriam Generalem Incltyti Comitatus T. ratione præviâ coram latius declaranda super eo: quia idem T. nescitur unde motus, fundum ipsius. T. Nobilitarem, in Possessione T. Comitatusq; T. Vicinitatibus ab una T. partibus, & ab altera T. existentem habitum Anno T. Die T. Mensis T. propria duntaxat autoritate præter viam juris, & citra omnem legitimum processum cum nonnullis interessatis, de quorum nominibus, & cognitionibus protestatur, occupavit, eundem de Possessione illius per vim dejiciendo contra manifestissima jura, & nobilitarem dicti T. prærogativam suam; itaque hujusmodi læsionem idem T. penes humil-  
limam

limam instantiam, & querelam in figura  
 iudicii coram generali Sedria Inclyti Comi-  
 tatus T. humillimè proponet, petètque  
 seipsum casu in præmisso in integram resti-  
 tuti, ac ad mentem præcitatæ legis in præ-  
 missis à jure iudicium, & justitiam sibi elar-  
 giri. protestatur solenniter.

Penes hanc, vel similem Instructionem  
 procedet Vice-Judium contra Potentiarium  
 conficiètque Literas super tali certificatione  
 Relatorias, quas instans in iudicio producat  
 promovebitque suam querelam penes instan-  
 tiam tali modo:

*Inclyte Comitatus ! Domini Domini  
 &c.*

**C**ONVENI in Causam penes certificationem  
 Nobilem. T. de T. produco Literas  
 ac documenta in legitimis Testium nobili-  
 tari prærogativa gaudentium, ac proinde  
 omni exceptione majorum fassionibus fundata  
 quibus mediantibus solidissime edoceo,  
 demonstro, qualiter idem T. tempore  
 Literis Relatoriis super certificatione legit-  
 mè confectis denotato, Fundum meum iisdem  
 Literis Relatoriis evidenter specificatum  
 & declaratum, quem per unius integri An-  
 ni spatium, & ultra pacifice, & nemini  
 Dominium: ac possessionem meam interpe-  
 lante,



lante, aut impediēte possedi, propria duntaxat auctoritate præter omnem viam juris & citra legitimum processum merâ, & absolutâ potentiâ mediante occupavit, de reali Dominio, & actuali possessione ejusdem fundi me per vim deiciendo contra manifestissima Patriæ jura, & in nobilitaris prærogativæ præjudicium; quibus ita demonstratis, & ad oculum comprobatis peto penes humillimam instantiam ad mentem legum Patriæ, signanter verò Appr. Const. Par. 3. T. 8. Art. 1. mihi justitiam elargiri, necque casu in præmissis in integrum restitui, idest, fundum, è cujus Possessione per vim dejectus sum, cum refusione expensarum, & damnorum, per præscriptum Potentiarium, absque omni legitima ratione causatorum, mihi readjudicari. Protestor solenniter, & submisse refero me ad jura, & leges Principatûs.

Inclyti Comitatus Paternam propensionem, quâ in Justitiam propendet, quâque me in nobilitari, prærogativa, & lege Patria manutenenda complectetur, humillimis obsequiis demereri adnitar.

Inclyti Comitatus

humillimus servus.

Nobilis T. de T.

H

Titu-

Titulus taliter potest concipi saltem pro  
norma, vel Idea.

Ad Inclytum Comitatum T. Dominos,  
Dominos &c. &c. humillimum Me-  
moriale; I.

Introscripti Supplicantis,

*Quæ sunt substantialia hujus Processus?*

**P**rimò Ut Actor ad minus Annum inte-  
grum in Possessione fundi in lite, & con-  
troversia existentis, vel alterius cujuscunque  
rei immobilis pacificè, & nemine illius pos-  
sessionem impediente præscribat.

Secundò: ut procedat læsus contra Po-  
tentiarium penes brevissimum, certificatio-  
nis processum querulosum juxta modum su-  
perius declaratum, penes Instantiam, &  
querelam.

3tò. Hic Processus tunc habet locum, quando Potentiarius in bonis occupatis Annum completè non præscripsit, si enim præscripsit tunc læsus penes hunc processum, qui est Brevis Brevium, procedere non poterit, sed prætensionem suam, viâ, & processu longiori, scilicet, in inferioribus Sedrii citatione, incluta item Tabula Regia evocatione mediante prosequatur.

4tò Nullam aliam actionem in Sedria proponat, sed duntaxat loco actionis porrigat suam Instantiam, & querelam, in qua petat se in integrum restitui, sibi que secundum jura satis fieri, ad mentem Appr. Const. Par. 2. T. 8. A. 1.

5tò. Nullam pœnam intentabit contra Potentiarium penes hujusmodi brevissimum certificationis processum, sed duntaxat ad mentem præcitatae legis tanquam inter alias leges Nobilissimæ, & patriæ Civibus utilissimæ, petat rem suam per vim, & potentiam mediante occupatam sibi restitui, cum damni, si quod tempore occupationis, vel ex post, mediò tempore illatum fuisset, refusione.

6tò. Prætensionem verò suam, & propositionem, sive querelam tenebitur lucidissimis

simis documentis, & Testibus sufficientibus, omnique exceptione majoribus edocere.

7mò. Compertâ, & demonstrata præten-  
sionis veritate Sedria proferet sententiam  
pro parte, & ad instantiam Actoris scilicet  
Potentiario, à facie juris, & justitiæ absente.

8vò. Lata tali modo judiciaria Delibera-  
tione, exmittet Sedria Officiales, & alios  
eum in finem è gremio Inclyti Comitatus  
Deputatos, qui ad mentem sæpius mentio-  
nati Articuli legibus, & judiciariæ Deli-  
berationi Inclyti Comitatus, ex incumbentiâ  
suâ obligationis satisficient.

9nò. Quia verò mens Articuli est; ut  
Potentiarius Bona occupata restituat, &  
damnum, si quod occasione occupationis  
Bonorum illatum fuisset, refundat, & resar-  
tiat, & ad hoc faciendum convictus admo-  
neatur, cui admonitioni idem Potentiarius  
jam per sententiam convictus, obtemperare  
tenebitur; sin verò:

10mò. Obtemperare noluerit, debet ad  
mentem legum fieri executio, etiam cum  
gente Comitatus, contradictione, inhibicio-  
ne, & repulsione Inclyti, & convicti, ac  
aliorum non obstantibus.

11mò. Ex mente legis, etiamsi absens  
fuerit Potentiarius, & convictus à judicio,  
reme-



remedio Prohibitæ uti jure non poterit, & ipse Sedriæ Notarius prohibitam de jure acceptare non tenebitur, sed neque novum cum Inhibitione hic locum habere potest.

12mò. Si autem in præsentia Potentiarii fuerit lata sententia, neque tunc habet jus remedio utendi, adeoque nec novum simplex hic admittendum erit; lex enim & jura Patriæ ob favorem læsorum, & per actum potentiarium oppressorum, ex hac causa omnia prorsus juridica remedia excluderunt; neque permittitur contra expressam legem in hoc casu remediis uti, & justam causam protelare, singularissimum enim hoc est in ipso etiam jure Civili, quòd is, qui e possessione Bonorum suorum per vim dejectus est, sive ut jura loqui amant: *spoliatus ante omnia in integrum restituendus est*; adeoque omnis ille actus juris, sive sit Prohibita, sive Inhibitio penes novum, sive aliud remedium, quo sententiam in hac causa legitimè latam, Potentiarius protelabit, ipso jure pro nullo est habendus; idcirco enim hic processus est privilegiatus, ut in casu evidentissimæ Demonstrationis, & comprobationis absque protelatione quantocyus ultimum finem consequatur.

13tiò. Nec ipsa appellatio, quæ sententiæ Gravatorum levamen, & solatium esse solet,

hic locum habet, ita, ut dum hic casus evidenter, & cum uberrima rei totius Declaratione indagatur, ipsaque Veritas comperietur, nihil aliud admitti debet, sed sententia per executionem finem suum sortietur, ut paulò antè dictum: Inhibitione, ac repulsione non obstantibus.

14to. Cur ergo hujusmodi sententiæ provocantur per appellationem? Id non nisi penes Mandatum admittitur; quanquam ne sic quidem appellatio locum haberet, verum ob respectum Mandati ex usu transmittitur hujusmodi sententia, & pœna illegitimè extracti Mandati in tali casu irrogari solet.

15to. Nonne alia pœna dictatur Potentiario, præter restitutionem occupatorum, & refusionem damni tali occasione illati in hac causa? Penes brevem hunc processum nulla alia pœna dictatur, verum ut lex circa finem Artic. habet, post factam restitutionem bonorum læsus habebit jus penes citationis processum, pœnam à jure statutam contra hujusmodi Potentiarium intentare; & è diametro ipse etiam Potentiarius, si justam prætensionem erga talia Bona habuerit, habet facultatem jure procedendi, & jus suum, si quod haberet mediante legitimo juris processu penes citationem in inferioribus

Sedriis, in Inclyta autem Tabula mediante evocatione prosequendi.

16to. Id præcipuum est in hoc processu, quod penes hunc Processum, prætendens non semper solet agere de bono jure: neque enim semper quæritur, utrum prætendens sit Dominus proprietarius rei istius, de qua lis, & causa vertitur, sed duntaxat agitur de reali, & actuali Dominio, vel possessione unius integri anni, vel etiam plurium pacifica, utrum videlicet aliquis fuerit in pacifica istius rei possessione per annum integrum ad minus, non attento eo, neque considerando, Utrum re successione Hereditario ad illum pertineat; ergo hic sufficit comprobasse reale, & actuale, Dominium, & Possessionem, ac proinde manifesti Juris est eum, qui saltem per unum annum completè rem quamvis pacificè possedit, Jurè, an injuria? non quæritur, res illa tali Possessori ob annuam pacificam præscriptionem per vim, & potentia mediante præter Juris, & absque legitimo processu eripi, vel auferri non potest. Sub pœna Potentiariis irrogari solita.

Dicet hic aliquis. Si non jure, sed injuriâ quispiam rem aliquam, præprimis immobilem, licet per integrum annum, possedit, si tamen justum titulum non habuit,

pro vero Domino istius rei agnosci non potest ; ergo ab illo tanquam à non Domino quilibet rem suam imò & alterius impunè auferre poterit , nec ex eo Potentiarius dici potest ; is enim est Potentiarius , qui alicui rem suam auferat.

Sed qui non est verus Dominus alicujus rei , eadem res non est ipsius ; ergo in tali casu nemo erit Potentiarius , si rem auferat , quæ non est ipsius , cui auferatur.

17. Introducãta est hæc lex pro conservando Bono Publico , ita , ut , postquam constituta sunt judicia , unusquisque rem per integrum annum præscriptam non per vim recuperet , sed processu mediante Jus suum requirat : est ergo talis Possessor ratione anni Dominii : quod pacificè , & nemine ipsius Possessionem impediẽte complevit , verus Dominus , & juxta Jus Patrium in illa re possidenda habet justum , & validum Titulum , qui in tantum Domino proprietario æquiparari potest ; quia , sicuti ab eo qui est alicujus rei Dominus proprietarius , res aliter ordinariè auferri non potest , quam à tali possessore , qui in quæstione est , licet rem injurâ possideat , possessio tamen pacifica annua tantam habet , ut si quis rem talem suam esse prætendit , non per  
actum



actum potentiarium rehabeat, vel recuperet, sed mediante processu suam esse experiatur.

17mò. Observandum porrò hujusmodi causarum, quæ in hoc processu vertuntur, ordinariè forum legitimum, tam in Inclytis Comitatibus, quàm verò apud Inclytam Nationem Siculicam esse Generalem Sedriam, & non particularem. Dico *ordinariè*, & ex mente legis; quia nihil vetat, si pro accelerando celeri justitiæ cursu, & executione, in ipsis etiam inferioribus Sedriis aliquando ob gravem causam tractarentur, & assumerentur.

18. Adhuc porrò tenendum, ut habetur ad finem præcitati Articuli, illos, qui in re quapiam jus, & successionem habent, non esse obligatos ad respondendum penes hunc Processum; unde consequi videtur: licere Hæredibus legitimis talia bona, quæ aliquis per annum pacificè possedit, per vim, & potentiam mediante pro se rehabe.

Sed dicendum: Non est ea mens istius Articuli: est enim in jure nostro universalis regula, quæ prorsus, & absolutè nullam patitur exceptionem, ut ab illo, qui annum integrum in pacifica possessione alicujus rei perstitit, vel præscripsit, nemo illam rem per vim, & potentiam auferendi habet fa-

cultatem, sed si suam esse prætendit, jure experiatur.

19. Quæ ergo est mens Articuli in hoc puncto? Ea est, quam inculcat Decretum *Part. 1. T. 67.* ut licet Frater aliquis per multos annos fuerit in pacifica rei suæ possessione, si tamen absque Filiis, & Hæredibus ab hac luce decedat, illius Frater, qui illis bonis jus, & successionem mutuum habuit, absque omni processure illam pro se legitimè occupabit, & hæc maximè illud verum est: *nemo in suis Potentiarius.* Penitus enim in hanc rem inquirenti patebit, Articulum hunc loqui de illis, qui in re quapiam, vel in Bonis aliquibus immediatam successionem habent: jam verò ponamus, aliquem ab hac luce decessisse, & post se Uxorem viduam reliquisse sine libris: quaeritur: utrum immediatam successionem in Bonis Defuncti habentes, possint Viduam ex iisdem bonis per vim ejicere, Vi immediatè successionis? Dicendum quòd non: illi enim licet habeant in iisdem in bonis immediatam successionem quoad Bonorum proprietatem, sive Directum Dominium, non tamen habent utile Dominium, priusquam Viduæ, adæquatè de sibi competente Jure, satisfecerint.

*Sed quo Jure dicitur hic Processus.*

*Brevis Brevium ?* Siquidem  
& in eo instituitur vocatio in jus penes  
querelam ad octavum Diem, sicut in pro-  
cessu mediante Citatione instituto ?

Dicendum : illi, qui in jus vocatur, vel  
in causam convenitur, sive penes querelam,  
sive penes aliam actionem, concedendum  
est tempus, sub cujus spatio prospiciat de  
defensionis, & suarum probationum mediis:  
Nemo enim indefensus de jure dijudicari  
potest. Et ideo illud tempus, quod à mo-  
mento Certificationis, usque ad ipsum præ-  
fixum Sedriæ terminum dilabitur, totum  
quantum deservit præparationi ejus, qui in  
jus est vocatus; ille siquidem interea vel  
testes, vel alia legitima Documenta per-  
quiret, quibus causam suam defendere inten-  
det, & sic illud tempus vel terminus à  
lege concessus est ob favorem Defensionis,  
quæ natura ipsa dictante unicuique licita est,  
cumpimis, quia inquisitio in causa præ-  
senti peragi debet ante terminum celebratio-  
nis Sedriæ præfixum; Exmissio post ea de  
jure non conceditur. Sed neque consistit natu-  
ra hujus temporis intervallo, quod intra illos

octo Dies decurrit, verum ejus essentia in eo absolvitur, ut, quantum fieri potest, ceteri via talis Controversia, exclusa omni prorsus protelatione, finem consequatur per Definitionem Judicis, eamque nullo remedio interveniente subsequatur Sententiæ executionem.

In Causis vero penes Citationem motis aliter se res habet: quia ibi Prohibita, Inhibitio, Exmissio, Novum judicium simplex, & alia Remedia juridica admittuntur; hinc autem excluduntur, & ideo *Brevis Brevium* dicitur: unde manifestè patet etiam Discrimen, quod inter Citationem intervenire solet.

Quid ergo ratione exceptionis hinc sentiendum? possuntne Exceptiones opponi in hoc Processu?

Omnino, Contra Forum, Actoratum, & Processum, prout etiam contra producta partis alterius, si ea legitima non fuerint: nam in foro incompetenti, cum Actore competente, & penes illegalem Processum Nemo tenetur agere, respondere in judicio. Et ideo istæ Exceptiones ante responsionem ad meritum jure apponi possunt, & debent in hoc processu, dum, & quando locus est objectioni; sed dum res ad substantiam, & meritum deve-



devenit, nec Exmissio, neque ulla juridica Remedia in hoc processu ex mente legum Patriæ admittuntur. Unde est igitur? quòd jura Patriæ doceant, Nobilem non nisi legitime Citatum debere per sententiam convinci. App. Const. P. 3. T. 6. A. 3. & alibi passim.

Dicendum: Sensus, & mens loci istius ea esse videtur, ut nemo nisi in jus vocatus, possit convinci per Sententiam, ut patet ex Decreto T. 1. T. 9. §. 1. ubi Paria sunt sub Generali conceptu citare, & vocare aliquem in jus, & in hoc casu penes certificationem Potentiaris in jus vocatur, neque ulla tamen pœna illi dictatur, sed Bona dumtaxat Possessori perperam ablata, & erepta restitui jubentur. Quod sit, ut jam dictum, ob favorem talium, qui per actum Potentiarium sæpissimè opprimuntur; id enim singulariter intendit Lex, ut præter viam Juris, ac proinde in Contemptum Legum, & Nobilitatis prærogativæ læsus primùm & ante omnia in integrum restituatur, & post restitutionem agatur, utrinque servatis de jure servandis, prout justitia, & ordinarius Juris cursus requirit. Hactenus de Processu queruloso.

Nunc quæritur: quænam Causæ venes Citationis Processum in Generali Sedria solent

solent moveri, ac discuti: Dicendum; omnes illæ, quarum Jus Patrium meminit in App. Const. P. 4. T. 1. A. 11.

Et hæ omnes Causæ in præallegato textu declaratæ ejus sunt naturæ, ac indolis, ut, prout Actor voluerit, sive in Generali Sedria Inclytorum Comitatum, sive verò in Inclytæ Tabula Regia moveri solent, ac possunt, adeoque stat in arbitrio Actorum, utrum Sedriis Comitatum, an verò in Inclytæ Tabula Regia, velint eas movere, & prosequi, exceptis iis, quas idem Jus Patrium per expressum Inclytæ Tabulæ, aut verò Inclytorum Statuum, & Ordinum cognitioni reservavit, videantur Textus Juris Patrii App. Const. P. 4. T. 1. A. 12.

Quorum Casuum Procedendi modus in hoc consistit, ut qui velit Causam coram Inclytæ Tabula Regia, aut Generali Diætâ movere, is penes evocationem juxta consuetum judiciariarum expeditionum Stylum evocatione mediante procedat. App. Const. P. 4. T. 1. A. 13.

Qui autem coram Generali Sedria Comitatum Causam suam inchoare voluerit, procedat penes citationem, virtute præcæcæ Textus juris Patrii App. Const. P. 4. T. 1. A. 13. & 19.

Citationes in Comitatibus peraguntur ordinariè per Supremum & Vice-Judices Nobilium; illi enim soli habent facultatem à Legibus Patriis indultam citatione mediante procedendi, ut sonat præcitatus Textus App. Const. P. 4. T. 1. A. 19.

Evocationes autem solent peragi in Tabula Regia & Diæta penes Literas Evocatorias, ut habet Textus Juris App. Const. P. 4. T. 1. 13. Hanc verò Evocationem non licet soli alicui peragere, sed ad minimum debent esse duo Regii in illo Comitatu, ubi executiones peragunt, Possessionaria jura possidentes. Decreti Trip. P. 2. T. 19. §. ultimo. Nisi fortè fuerint Inclytæ Tabulæ Regiæ Scribæ, ac jurati Notarii, idem Textus docet.

Præcipuum est in his Citationibus, & Evocationibus, ut illæ debeant institui ad eundem Diem in Comitatibus in corpore Principatûs existentibus in aliis verò utpote: in Partibus Principatui annexis ad istum Diem, ut habet præallegatus Textus Ap. Const. P. 4. T. 1. A. 13. & 19.

Occurrit jam hic non levis momenti quæstio; Utrum in casibus in *Articulo 11.* App. Const. P. 4. T. 1. recensitis, adeoque etiam in ipsis criminalibus actionibus possent

possent de jure admitti beneficia juris? ut, sunt: Prohibita, Novum cum Inhibitione Novum Judicium simplex, Appellatio &c. Et quidem transeant Casus Civiles; sed præprimis quæstio est de ipsis Criminalibus, uti & in quibus reus, vel Inctus debet præsens esse in judicio *personaliter*, quæritur itaque, utrum illis possit de jure competere, posse beneficiis juris uti? Ut hæc Quæstio, ejusque decisio rectè possit intelligi, combinandus est citatus textus, & Articulus: 11. Approb. T. 4. T. 1. cum altero Textu App. Const: P. 4. T. 1. A. 18. qui Articulus per expressum scribit, in hisce præspecificatis brevibus processibus eodem Die proclamationis absentibus tantum verbalis prohibitio sine onere semel conceditur.

Sed qui sunt isti Casus, qui penes ejusmodi brevem processum moventur? Præcipue casus, isti recensentur, & enumerantur in toties mentionato Articulo 11. Appr. Const. P. 4. T. 1.

Proinde etiamsi affirmantes nulla alia ratione possunt se tueri, nisi unico hocce Textu, utpote: A. 18. Appr. Const. P. 4. T. 1. A. 25. enumeratis, ut & aliis omnibus, cum omnes quoad processum ejusdem sint Naturæ, Prohibita, ac aliis remediis,



mediis, sive beneficiis à legibus, justitia-  
que, & æquitate dictatis, & indultis, lege  
Patriâ præeunte, uti, non solum autem  
prohibitâ, sed etiam Inhibitione cum novo  
simplici, item novo Judicio, & Appella-  
tione, in Casibus criminalibus, uti posse  
evincent clari, & aperti Textus Juris  
Appr. Const. P. 4. T. 1. A. 13. in verbis  
hungarico idiomate sic sonantibus: *Ha kik  
magokot tudni-illik racione prænotarum casuum  
Nemoban hadgyak, azokra per non venit sen-  
tentia adassék.* Qui in casu etiam post con-  
cessam Exmissionem, ut sonat Articulus  
modò mentionatus, licet uti inhibitione,  
prout etiam *Articuli 14. § 15. 16. 17. 18.  
20. 21. § 25.* immediatè subsequentes per  
expressum idem docent, & ad oculum evin-  
cent, posse in criminalibus casibus juris re-  
mediis uti.

Posset dici; Textum Juris Appr. Const.  
P. 4. T. 1. A. 25. prohibere, quò minus in  
criminalibus aliquis remedio Prohibitæ uti  
possit, adeoque omnino verum est illò re-  
mediò non posse uti in casibus criminalibus.

Respondendum: quando dicimus, Reme-  
dio Posse uti Prohibitæ in criminalibus,  
ly *posse uti* referimus ad congruum tempus,  
id est, locum prohibitæ tunc dari dicimus,  
ubi, & quando leges permittunt, utpote  
in

in primo assumptionis causæ termino, dum primò primùm in foro contradictorio causa assumitur, & ad criminalem actionem provocatus à Judicio absens erit, contraque illum, velut absentem hunc in modum Deliberatum exstiterit. Pro I. nemo; ergo Inctus in totali actione, & acquisitione Actoris convincitur, ipsaque Convictio, vel sententia debitæ etiam executioni demandari judicatur; Dum igitur adhuc in primo assumptionis causæ termino taliter fuerit Deliberatum, tunc aliqui è nomine Incti Sententiam hoc modo prohibebit. *Ego sententiam hanc contra Inctum pronunciatam prohibeo:* quo in casu Sedriæ Notarius tenebitur annotare prohibitam tali modò: *Prohibita eodem die ad mentem sæpius mentionati Articuli 18: App. Const. P. 4. T. 1. A. 18.* Si autem Inctus non comparuerit, & illius nomine nemo Sententiam per ipsius non venientiam latam eodem Die, quo lata est prohibuerit, eâ tunc Prohibitâ nec in civilibus nec in criminalibus uti poterit, ut superius est notatum: si enim sententia non fuerit eodem die prohibita, sequenti Die Notarius Prohibitam non solum non annotabit, verum etiam sententiam per non comparitionem Incti præscriptò modò pronunciatam Parti actorici extra dabit, expressè hoc ipsum docente præmentionato textu Appr. Const. P. 4. T. 1. A. 18.

Objectio autem ex mentionato Texta App. Const. P. 4. T. 1. A. 25. desumpta expressè ait : post factam appellationem alicujus Causæ sive Civilis sive verò Criminalis non esse locum Prohibitæ in his verbis hungaricis : *Ezen kirül &c.* quod omnino est verissimum : si enim , ut luculenter edoctum est , Sententia per non venit pronunciata eodem Die , quo in primo proclamationis , & assumptionis Causæ Termino pronunciata est , non prohibeatur , expost in Causæ ejusdem processu nunquam Prohibita admittetur , nisi fortè causa per aliquam condescensionem , aut spontaneam depositionem in priorem statum redacta , & de novo assumpta fuerit ; in hoc enim casu licebit uti Prohibitâ , quia prior Processus ita est annihilatus , ac si nunquam motus extitisset : sed & alioquin constat coram luclyta Tabula Regia in criminalibus admitti Prohibitam , ergo etiam debet admitti in Sedriis Comitatus ; quia in quantum fieri potest Comitatus Causæ debent attemperari Tabulari processui Appr. Const. P. 4. T. 1. A. 19. Priorem hujus Assertionis partem ipsa Tabularis praxis docet : posteriori verò modò mentionatus Articulus. Porro in Criminalibus admittitur Prohibita , modò suprâ prædeclaratô , ut patet ex jam citatis Textibus App. Const. P. 4. T. 1. A.

13. 14. 15. 16. & quod hi omnes quidem præcitati Articuli docent, sed præ omnibus aliis *Art. 16*, in hæc verba ad Literas sonat: *Ha kik nem gondolnának a' Causának meritumát al Personalis comparitiora evocálnának másokat, olly casusban, mely Personalis comparitiót nem kívánxa, és az Instus nem compareálha, in prima Instantia, s' ez okon per non venit Sententia adatnék ellene, az olyan Causans élyen prohibítával, vagy inhibítival, vagy Novum Judiciummal, melyek mellet annakutánna compareáln Etc.* hinc non solum per immediatam consequentiam, sed expressa lege deducitur, posse uti in criminalibus supra recensitis omnibus juris beneficiis; & quod sic, hoc argumento doceatur ad mentem præcimatorum, ut & Textum hujus Articuli, licet uti non solum remedió Prohibitæ, sed etiam cæteris beneficiis, & indultis juridicis, omnibus illis, qui ad personalem comparitionem citati, vel evocati sunt, sed qui ad personalem comparitionem citantur, eodem ipso actu ad criminalem citari, & evocari censentur, adeoque extra omnem controversiam licet illis recurrere ad Prohibitam, ut & cætera juris beneficia. Rursus alter Textus App. Const. P. 4. T. 1. A. 20. ait: quicumque in casibus præmissis scilicet in *Art. 11*. App. Const. P. 4. T. 1. specificatis, in Sententiis



tiis per non venientiam latis Prohibitâ uti noluerint, utentur Novô Judiciô cum Inhibitione expediri solitô: quod enim non simplex Novum Judicium, sed Novum Inhibitionale dictum debeat hic intelligi, manifestè vel ex eo patet; quia Novum Judicium simplex ex eo nuncupatum, nunquam solet concedi per non venientem Convictis. Illud enim, ut idem Art. clarè docet, tunc indulgetur, cum uterque litigantium præsens existens, alterutrâ partium succumbente, is, qui succubuerit; ad Beneficium Novi Judicii simplicis poterit facere recursum.

Sed & aliæ rationes, & quidem graves militant pro parte affirmativa, v. g. licet uti remediô Prohibitæ in Causis Civilibus, ergo etiam pari jure licebit eodem remediô uti in Criminalibus; ratio Consequentia est, *imò*. Quia æque possunt ad criminalem actionem provocatis obitare Causæ, ob quas ad judicium venire non potuerunt, atque illis, qui ad Civilem actionem citati, vel evocati essent. Causæ autem istæ enumerantur in Decreto Trip. P. 2. T. 59.

Perinde enim omnibus infortuniis, & calamitatibus Expositi sunt ad Criminalem actionem citati, quàm alii, adeoque rectè procedit consequentia.

Nam æquè iu his , quàm in aliis potest se offerre infortunium : possunt siquidem peripde , ac alii gravi morbo in itinere detineri , possunt etiam mori ; hæ enim , & similes causæ justæ , & rationabiles occurrunt , vcl occurrere possunt , ob quas ejusmodi Defectibus impediti , ad iudicium venire nequirent ; proinde nullis magis , quàm ad Criminalem actionem citatis , oportet remedium juris indulgere.

Secundò , Ubi majus præjudicium subvertatur , ibi præprimis habent locum beneficia à jure indulta , nuspiam autem subvertatur majus periculum , quàm in Criminalibus , ubi de Sanguine , Vita , & membris hominis ad Imaginem DEI creati agitur , adeoque tunc , & ibi præprimis habet locum beneficium juridicum ; Jam hic oportet de aliquo crimine in specie agere : sumamus itaque homicidium.

### *De Homicidio.*

**H**omicidium est violenta vitæ Hominiis ademptio , estque Triplex , *Voluntarium* , *Necessarium* , & *Causale*.

*Voluntarium* , sive directe volitum , est quod committitur ex proæresi , sive præ  
COR-

concepto animi proposito, & dicitur *præconceptum*, vel *deliberatum* homicidium: unde definitur *injusta, & dolosa vitæ humanis ademptio*; hujus pœna ordinaria est talio, terra enim innocentis sanguine contaminata non potest aliter, nisi per sanguinem effundentis expiari, Gen. C. 9. & Numerorum C. 35. v. 33.

Sanguis enim innocentis dicitur clamare ad DEUM: sic Gen. 4. v. 10. dixit DEUS ad Cajnum, *Sanguis Fratris tui clamat de terra ad me.*

Habet horrendum hoc scelus suas species, & quidem:

Primò: *Paricidium*, sub cujus communi notione comprehenduntur in specie *Patricidium*, *Matricidium*, *Uxoricideum*, *Fratricidium*, & *Sororicidium*; quando scilicet aliquis nefando ausu personas arctissima sanguinis necessitudine sibi junctas in linea Ascendentali, Descendentali, imò etiam Collaterali, usque ad quartum gradum inclusivè ex proposito occiderit, ut hujus immanis sceleris pœna jam non est simplex talio, verum talis Homicida incurrit pœnam notæ perpetuæ infidelitatis. Dec. Trip. P. 1. T. 14.

Secunda Species est *Assassinium*, quando aliquis ad detestatissimum hoc scelus ipso actu peragendum, quempiam pecuniâ, vel alia mercede corrumpit, ipsèque corruptus desiderium corrumpentis effectivè exequitur.

Tertiò: In tertia specie collocandi sunt qui sacram aliquam personam destinata malignitâ occidunt, & hoc scelus nuncupatur *Sacrilegium*: si autem ex porrecto veneno moriatur, *Veneficium*; si per insidias committatur, *Insidiosum*; si sub specie benevolentiae vel amicitiae, *Proditorium*; si spoliâ causâ *Latrocinium* dici consuevit. Quorum omnium pœnam, & immanitatem, ac atrocitatem scelerum exasperari debere, Justitiaratio requirit, ut v. gr. Latrocinium pertrantibus leges Patriæ pœnam Rotæ dictant *P. I. T. 13.* atque ita de reliquis.

A Directè voluto homicidio non longè abest, quod est volitum *in causa propinqua* unde ut plurimum mors subsequi solet: v. gr. si quis feriat alterum in capite vel circa præcordia, quamvis absque directa interficiendi intentione, vel quis aliquem instrumentô letiferô ( sit lignum, lapis, vel ferrum, nihil interest ) eò fine percusserit, ut moriatur, deliberati homicidii reus erit. *Numer. 35. ̳: 16. 17. &. 18.*

Porro



Porro: ille etiam, cui ab officio incumbere impedire homicidium, & cum facile potuisset illicitum hunc actum impedire, nullam tamen diligentiam; aut non satis feriam adhibuit, quominus homicidium actu eveniret, morali consideratione pro homicida reputabitur: dolò enim malò officio suo defuisse argui potest, adeòq; mortis causam dedisse censetur.

Hinc tam in Decalogo, lege nimirum, Divinò digitò scriptà, hisce duobus verbis: *Non occides*, quàm etiam naturali jure homicidium severissimè prohibetur; sunt enim præcepta juris naturalis: *Honeste vivere. Neminem ledere. Suum cuique tribuere. Quorum summa est. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Quæ præcepta eò tendunt, ut nullus hominum absque permisso legum alteri nocere, imò in omnibus justis, & licitis modis, in quibus poterit, prodesse velit. Lumen scilicet de lumine accendat suo: erranti comiter monstret viam: & cuivis fidele consilium suggerat; cum enim natura inter homines quandam cognationem constituisse, ideo nefas esset hominem homini insidiari dolosè. Summum itaque est scelus homicidium, maximè ex præconcepta malitia commissum, utpote: quod excellentem Dei creaturam, & magnæ illius à Deo ordina-

dinatæ civitatis mundi Civem, hoc est hominem, animal Deo charissimum, è vita perperam tollit: nemo itaque mirabitur, severissimè punitum iri eos, qui innocentem sanguinem dolosè effuderint.

Qua occasione quæri solet; utrùm manifesti, dolosi, & voluntarii homicidæ possint gaudere jure Asyli? & quod non videtur constare ex jure sacro, *Exodi 21. v. 14.* Evelles voluntarium Homicidam ab altari, ut moriatur. Videantur quoque alii sacri textus, *1. Reg 2. v. 5. & 34. Deuter. 19. 11.* & sequentibus. Ipsum etiam Jus commune negat talibus personis jus Asyli competere *Novel. 17. C. 7.* imò juxta Canonica jura non possunt jure Asyli gaudere: Primò: Publicus Latro, seu viarum grassator, agrorum Depopulator. 2dò: qui alterum proditoriè occidit. 3tiò. Assassini, tam qui dant, quàm qui accipiunt pecuniam eo fine, ut homicidium committatur. 4to. Læsæ Majestatis Rei; & hi, quamvis ad Asyla confugerent, inde nihilominus cum præscitu competentis Magistratûs jure avelli possunt.

Quæritur porrò: si plures fuerint, qui aliquem ex destinato animi proposito interfecerint, utrùm omnes, & singuli teneantur pœnam voluntariis homicidiis dictari solitam

solitam sustinere? Resolvunt Juris-consulti hanc quæstionem affirmativè: tot enim censentur hoc in casu homicidia, quot fuerunt personæ homicidium ex destinata malitia committentes: omnes enim sunt Rei, eò, quòd præviâ pravâ consultatione manus suas ad occidendum alterum extenderint. Consultatur in hoc casu Commune Pandect. *Lege 21. §. 9. de furto.* Item jus municipale Almæ Nationis Saxonicæ *Lib. 4. T. 3.*

### De Homicidio Casuali.

**C**asuale est, quod præter intentionem animi, & non ex proæresi, vel destinata malitia, sed duntaxat casu fortuito evenit. Tale homicidium potest considerari, vel prout ex puro casu, vel verò prout ex mixto fundamentum, ac originem sumit. Purum casum illum dico, cui absolute nulla adhæsit culpa. Mixtum porrò, cui aliqua culpa adhæsit. Prior illustrari potest exemplo illius, qui dum ad signum campanâ dandum ordinatus, debito tempore pulsaret, & in ipso actu contingeret campanam in aliquem decidere, & inde mortem subsequi; ille qui signum dedit, quoad omnes circumstantias videretur versari in actu licito, adeoque per eum purum casum fuisse commissum, quem nullus

mortalium præstare teneretur. Posterioris exemplum esse potest in illo, qui secundum quid versatur quidem in actu licito, quoad tamen aliquem circumstantiæ casum illicitum actum exercet, v. gr. qui sclopeto cornicem vult petere, in tantum versatur in actu licito, quia cornicem sclopeto petere non est peccatum; sed in quantum in tali loco hunc actum exercet, ut pote in via publica, ubi plurimi homines ordinariè transire solent, eatenus ratione loci committit actum illicitum, ideóque talem casum committens, si inde alicujus mors, utut contra voluntatem, & intentionem agentis subsequatur, homicidium mortui persolvere tenebitur: ut enim aliquis agens licitum actum exercere verè dici possit, oportet eum, non tantum ad Personas quoadtalem actum concurrentes, verum etiam quoad tempus, locum, aliásque similes circumstantias in casu licito versari: si verò aliqua ex his circumstantiis defecerit, ex tunc casus Mixtus, & non verè purus intervenisse, & sic culpam aliquam necessariò secum trahens circumstantia actui adhæsisse recte, & verè dici poterit.

Licèt autem tali actui pœna adhæreat, non tamen pœna talionis: sive enim naturam casuum, sive verò, quod majus est, Jus Divinum attendamus, evincetur Pœnam



nam talionis tali casu non posse applicari, idque hoc fundamento: quia in tali actu deest animus, & propositum, idest, forma peccandi: nihil autem debet esse tam voluntarium, quàm actus peccandi, ita, ut, quod non est voluntarium, illud neque pro peccato haberi potest: hanc ob causam in Jure Divino, non illis, qui ex consilio, & voluntate, sed qui casu fortuito præter voluntatem, aliquem interemissent, adeoque non formaliter, sed duntaxat materialiter peccatum homicidii commisissent, Asyla DEUS ordinaverat. Num. 35. v. 22. &c.

*De Homicidio Necessario.*

**N**Ecessarium homicidium committi dicitur:

*1<sup>mo</sup>*. Quando legitimus Magistratus vim, & exercitium, Juris gladii, ipsi de jure competentis, contra facinorosos debite administrat.

*2<sup>do</sup>*. Dum, & quando etiam privatus aliquis in necessaria, & inevitabili vitæ, & bonorum defensione, injustum aggressorem, adeoque illum prius occidere volentem, ex summa, id est, necessitate per rei naturam inevitabili, pro bonorum, & vitæ propriæ defensione è vita tollit. Decret. Trip. P. 3; T. 21. 22.

Ex quo textu elicitur : tam pro bonorum conservatione , quàm maximè autem propriæ vitæ conservatione actum hunc Defensionis licitum esse ; dummodò Defensio adhibeatur cum moderamine inculpatæ Tutelæ.

*Sunt autem inculpatæ Tutelæ requisita.*

**P**rimò : Ut aggressor prius intentet vim injustam , alterumque nihil tale volentem , vel cogitantem , ferrô , vel aliô instrumentô ipse prius aggrediatur.

2dò. Ut fiat pro vitæ , & bonorum , quæ etiam *alter Sanguis* dici possunt , conservatione.

3tio. Ut per absolutum bona sua & vitam nullo alio per rei Naturam possibili modo defendere , & conservare possit , nisi injustum aggressorem vel vulnerando , vel etiam , si aliter fieri nequeat , occidendo , ad bona , vel vitam eripiendam inhabilem reddiderit.

4to. Ut fiat in ipso flagrante crimine : aliter enim post moram , Defensio amitteret propriam Naturam , transirétque in vindictam , quam exercere illicitum est ; di-

cit

cit enim Sacer Textus; *Mibi vindicta; ego retribuam.*

stò. Aliqui Necessarium existimant concurrere debere ad moderamen inculpatæ Tutelæ, paritatem armorum: ut si quis me pugnò percutiat, non debeo illum gladiò, vel alio simili instrumento depellere.

stò. Ut inculpatam Tutelam allegans, probet rem ita se habere, prout asserit; præsumptio enim militat contra illum, quòd nimirum aliquem dolosè è vita sustulisset, neque aliter ipsius verba, & assertio fidem habebunt; nisi sufficienter edoceat, se fuisse ab occiso prius aggressum, inque extremo vitæ periculo constitutum: Neque aliter, id est, nec fugâ, nec alio possibili modo seipsum salvare potuisse, nisi adversarium, vitam ipsius prius abrumpere volentem, rebus humanis sustulisset. Decr. Trip. P. 3. T. 21. 22. & 23.

Licitam esse Defensionem pro conservatione vitæ nostræ, ipse Cicero ex naturali Jure vult deducere in Oratione pro Milone: inquit enim: *Est hæc non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex Natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus: ut si*

vita nostra in aliquas infidias, in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum incidisset, omnis ratio expedienda salutis honesta esset. Et mox Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris ipsa Natura præscripsit; ut omnem semper vim, quacunque oppossent, à corpore, à capite, à vita sua propulsarent.

Dixit & Cajus Juris-Consultus; Adversus periculum Naturalis ratio permittit se defendere: & alter: Jure hoc evenit, ut, quod quisque ob tutelam sui corporis fecerit, jure fecisse existimetur. Cui tamen Sententiæ Viri summi, & legum periti, hoc fundamento, non facile subscribunt; quia inquiunt: longè esset salutarius vel fugere, vel aliquomodo evitare, ne aggressor ultimum vitæ periculum subeat: sed cum supponitur, alio modo vitam suam conservare non posse; nisi aggressorem vel debilitet, vel è vita tollat, id circo si casus ex Jure Patrio debeat definiri, sensum Juris jam videmur aliqualiter exposuisse: interim, qui ita suos actus componere, & moderari, ac ad tantam patientiam pervenire poterit, ut manum suam ad occidendum alterum in quacunque necessitate constitutus extendere nolit, ego illum inter summè felices, & beatos, Angelicamque vitam viventes retulerim, & numeraverim.



Quæri etiam solet, quis sit Vindex innocenter fusi sanguinis? Sive: Cui competat tali in casu legitimus Actoratus? Jus Nostrum Actoratum hoc in casu illi attribuit, qui occisum proximiori sanguinis nexu attingit: si autem tales vel omnino non fuerint, veletiam si fuerint, nihilominus Prosecutionis causæ incapaces comperti fuerint, tunc vel Directoratus Fisci Regii, vel verè Inclytorum Comitatum, & Inclytarum Sedium Officiales erunt in similibus causis lege Patria definiti Actores. Ap. Const. P. 3. T. 47. A. 20. Nec non Appr. Const. P. 4. T. 2. A. 1. §. 2.

*Exemplum Processûs Criminalis coram  
Generali Sedria penes citationem moti.*

**E**Ggregiè T. de T. Nobilem T. de T. penes Processum Citationis personaliter, & ad personalem Comparitionem in causam convenit ad Generalem Sedriam Inclyti Comitatus T. ubivis post harum emanationem primitus celebrandam ad octavum diem, à die hujusmodi Citationis legitimè computandum juxta brevem judiciorum Processum aliàs in similibus causis observari solitum, ratione prævia coram latius declaranda, eò quòd idem T. nescitur, unde motus, quoque, aut quali spiritu agitatus in Incly-

to Comitatu T. existente in Territorio Possessionis T. vulgò T. nuncupato Vicinitatibus ab una T. ab altera verò Partibus T. nullâ DEI, Naturæ, & Patriæ legum reverentiâ tactus, imò contra hasce omnes leges, Nobilem T. de T. in via Regia iter facientem, & nihil tale merentem, mera, & absolutâ potentiâ mediante, evaginâtô Gladiô aggressus fuisset, eundemque temerario ausu non solum invalisset, verum etiam annò T. Die T. Mensis T. eundem T. in territorio præscriptæ Possessionis T. vulgò T. nuncupato, verberâssêt, vulnerâssêt, atque etiam ex destinato proposito occidisset, sêque ipsum horrendi voluntarii homicidii reum efficere non exhorruisset; noverit itaque idem T. ad præscriptam Inclyti Comitatus T. Generalem Sedriam non per Procuratorem, sed personaliter iudicium, & justitiam super admissio nefando hoc scelere in eadem Generali Sedria receptus, comparere: alioquin sive idem T. ad præscriptum terminum iudicarium, Generalêmque prælibati Comitatus T. Sedriam personaliter compareat, sive non, ipse nihilominus exponens id facturus erit in præmissis, quod Juris, & Legum Patriarum tenor, in tam gravi scelere faciendum dictaverit, & protestatur.

*Exemplum Actionis in hac Causa.*

**C**AUSA Egregii T. de T. ut Actoris.  
 Contra, & adversus Nobilem T. de  
 T. ut Inctum.

Pro A. Procurator T. de T. per quem  
 præmissâ solenni protestatione exhibet Li-  
 teras relatorias super Citationem legitime  
 confectas, & penes illas proponit in hunc  
 modum. Inctus non curatâ, quin potius  
 contemptui habitâ, DEI, Naturæ, & Pa-  
 triæ legum reverentiâ, in quibus præprimis  
 voluntarium homicidium, & quidem lege  
 etiam, DEI digito in Decalogo scri-  
 ptâ, severissime prohibitum esset, in verbis  
 his: *Non occides.* idem tamen Inctus, No-  
 bilem quondam T. germanum Actoris fra-  
 trem, nescitur qua mente, & quo spiritu  
 agtatus, merâ & absolutâ potentiâ medi-  
 ante loco, & tempore, in literis super  
 citatione in causa hac, legitime emanatis  
 fusè & clarè denotatis, gladiô apud se ha-  
 bitô, in via Regia aggressum, eundem T.  
 nihil tale merentem, primum quidem ver-  
 berâisset, exposit vulnerâisset, ac demum ex  
 destinata animi malitia interimere non fuisset  
 veritus; prout horrendum, id est, dolô  
 malô & ex Proæresi patratum hocce homi-  
 cidium, neque ipse Inctus rectè negare  
 præsumeret, in casu negati homicidii con-

cessâ mihi eum in finem ab Inclÿta Sedria ad terminum Judicarium proximè celebrandum Exmissione, testimoniis omni exceptione majoribus actionem præsentem solidissimè comprobaturum, & edoctrum me offero, in termino judicario comprobata actione, peto eundem homicidam juxtâ Sacrum Textum *Gen. 9. v. 6.* item *Numeros. 25. v. 7.* ut & tenorem legum Patriarum Decreti Tripartiti, *P. 1. T. 15.* item *P. 3. T. 5.* nec non App. Const, *P. 3. T. 47. A. 20.* pœnâ talionis in terribile aliorum exemplum puniri. Et protestatur solenniter.

*Deliberatum in Præsenti Causa.*

POSTEAQUAM coram Generali Sedria Actor decem Testibus oculatis, Nobilitari prærogativa gaudentibus, adeoque omni exceptione majoribus, lucidissimè comprobasset, & edocuisset, quòd Inctus loco, & tempore in literis Relatoriis super citatione legitimè emanatis clarè, & fusè declaratis, eundem quondam T. merâ, & absolutâ potentiâ mediante aggressus, velut, qui neque DEUM timuisset, neque leges reveritus fuisset, gladio apud se habito nihil tale merentem horrendum in modum è vita sustulisset, & occidisset ex proposito,

&



& destinata animi malitia, ac porro idem Actor allegasset DEI mandatum *Gen. 9. v. 6.* ut, qui sanguinem hominis effuderit, ipsius quoque sanguis effunderetur, & ipsæ leges quoque Patriæ in crimine deliberati homicidii pœnam talionis dictandam juberent; ob hæc idem T. Inctum in totali actione Actoris Convincendum, & pœnâ talionis in aliorum exemplum plectendum, communi omnium Judicum consensu, ne uno quidem voto discrepante post accuratissimum causæ examen maturo judicio, & sana superinde Deliberatione præhabitâ decernitur. Hæc in genere de objecto Generalis Sedriæ.

## CAPUT XXV.

### *De Foro, seu Sedria Divisionali.*

FUndatur hæc Sedria in expresso jure Patrio Decreti Tripartiti *P. 1. T. 45.* ut & App. Const. *P. 4. T. 1. A. 30.* ubi Jus Patrium considerat, utrùm Bona Divisioni submitienda, in diversis Comitatibus vel in uno duntaxat existant: & si illa in diversis Comitatibus existere compertum fuerit, tunc ex mente præcitati Juris, officio, & activitati Magistri Proto-Notarii incumbet bona divisioni substernenda, inter

Fratres, vel Sorores in rectas, vel æquales partes juxta cujusvis fratris, aut sororis successionem, & inde descendentem competentiam, aut sanguinis, vel gradus prærogativam heriscere, vel dividere: si verò bona subdividenda in uno duntaxat Comitatu adjacere dignoscentur, hoc in casu idem Jus Patrium Authoritatem, & facultatem subdividendorum Bonorum Supremo Judici Nobilium, & Vice-Comiti alicujus Incltyti Comitatus, ubi nempe talia bona sita fuerint, attribuit, & quidem modum quoque procedendi Textus Juris præscribit: quòd scilicet divisionis negotium, vel causa inter fratres, sororesque Carnales, & Uterinos, ut & Patruelles, & Matrueles, non alio processu mediante, sed duntaxat in priori quidem casu, per Magistros Proto-Notarios: in posteriori autem per supremum Incltyti alicujus Comitatus Judicem Nobilium, & Vice Comitem penes Literas Divisionales ad eosdem Clementissimo suæ Majestatis nomine præceptorie sonantes, & directas cum prævia certificatione ejus, vel illorum, in quorum manibus bona communia, utpote Divisioni obnoxia, reperiri contigerit, nomine Exponentis, vel Divisionem petentis Fratrum, aut Sororum peragi debebit.

*Exemplum Certificationis in præsentia  
Materia.*

**E**gregius T. de T. Filius Egregii quondam  
T. de T. ex Nobili quondam fœmina T.  
Consorte sua susceptus, & progenitus Egre-  
gium T. de T. Filium Generosi quondam T.  
de T. ex nobili quondam fœmina T. Consorte  
sua susceptum, & progenitum, certificari cu-  
rat ad suum diem, à die præsentis certificatio-  
nis legitimè computandum, juxta modum,  
& ordinem, aliàs in talibus Divisionum  
causis observari solitum & quidem hunc in  
finem: quòd siquidem Bona in possessionibus  
T. Inclytòque Comitatu T. existentia, &  
habita, quæ præfati Egregii quondam T.  
De T. præfuissent, & per mortem ejusdem  
in ipsum Exponentem, cæteròsque Fratres,  
& Sorores suas, in Literis suæ Majestatis  
eatenus præceptorie sonantibus cum dedu-  
ctione Genealogiæ specificatos, virtute legi-  
timæ successionis Jure Paternò Aviticò de-  
voluta essent, & defactò præ manibus præ-  
mentionatorum T. & T. indivisè existe-  
rent, & haberentur, vellet Exponens ipso  
octavo Die à præsentia Certificatione legi-  
timè computando, penes Literas suæ Ma-  
jestatis eadam bona, per Supremum Judicem  
Nobilium, & Vice - Comitem Inclyti Co-  
mitatûs

mitatûs T. ad mentem legum Patriarum  
 inter ipsum, præscriptosque Fratres, &  
 Sorores legitimè subdividi facere. Noverit  
 itaque præscriptus T. in Curia Nobilitari T.  
 in Possessione T. Inclytôq; Comitatu T. exi-  
 stente habita; quæ ut præfatum esset, Egregii  
 quondam T. de T. præfuisse, præsens,  
 ac præsto esse: eo enim die præscripti Ju-  
 dices in Curia Nobilitari præannotata com-  
 parituri, Univerfa bona tam mobilia,  
 quàm etiam immobilia, in præmentionatis  
 suæ Majestatis Literis divisionalibus clarè  
 specificata, realiter subdivident, ac unicui-  
 que Partium, ratam suam forte divisionis  
 obvenientem portionem, juxta ordinem, &  
 gradum successionis, & sanguinis præroga-  
 tivam, effectivè, & actualiter in manus  
 cujusque assignabunt, Contradictione, ac in-  
 hibitione Fratrum, ac Sororum præscripta-  
 rum, ac aliorum quorumlibet prævia ratione  
 non obstantibus: & protestatur. Quæ  
 quidem Clausula tantam vim habet, ut illi  
 quibus Jus Patriam in præfenti causa com-  
 petentiam subdividendorum bonorum inter  
 Fratres, & Sorores Carnales, ac etiam  
 Patruales, & Matrueles indulgit contradi-  
 ctione, & inhibitione quorumcunque non  
 curatâ, bona omnia in Literis suæ Maje-  
 statis divisionalibus specificata, nisi repul-  
 sione violenta impedita fuerint, actualiter  
 subdi-



subdivident: Repulsiōni autem cedent, ac postea repellentes ad Generalem Sedriam Incltyti illius Comitatus, ubi bona subdividenda adjacere dignoscerentur, penes certificationem ad reddendam Repulsiōnis rationem provocabuntur: ubi finalem Causa ex divisione emergens decisionem consequetur: de jure enim ejusmodi causæ in altiores Instantias, nisi fortè aliquis illas mediantibus Literis præceptoriiis provocaverit, ordinariè transmitti non solent: excipi hinc debet executio Magistrorum Proto Notariorum: tametsi enim aliquis eorundem executionem repulsiōne impediverit, illo tamen in casu, Exponens Repellentem in Inclytam Tabulam Regiam ad reddendam repulsiōnis rationem ex antiquissima consuetudine certificari non faciet, sed duntaxat coram Inclyta Tabula relationem superinde instituet, ipse nihilo minus Repellens æquè ad reddendam repulsiōnis rationem comparere tenebitur, ac si formaliter fuisset certificatus.

Quoniam autem Mandatum Divisionale præscripto tenore expediri solitum ad bona duntaxat Comitatenſia, non verò Siculicalia dirigitur, adeoque quoniam Jus Patrium de eo quoque prospexit, quomodo nempe Mandatum Divisionale dictum Siculicalia expediatur, adscribam huc discrimen, quodam olim Juris Patrii periti circa hæc duo

Man-

Mandata observârunt, ut tali discrimine intellectô, possint illi, in quorum gratiam hæc scribuntur, idest Tyrones Juris, horum Mandatorum expediendorum modum, & normam rectè intelligere.

Discrimen itaque, quod inter hæc duo Mandata intercedit, sequentibus punctis absolvitur.

Primò: in Comitatenſi Divisionali dirigitur Mandatum ordinariè ad supremum Judicem Nobilium, & Vice-Comitem illius Comitatus, ubi bona subdividenda adjacere dignoscuntur; licèt aliquando Assessores, & Notarius Sedriæ etiam tali Mandato jam usu in quibusdam locis recepto, inserantur, idque eò fine receptum videri potest, ut eo commodiùs errores, & Defectus in causis Divisionum emergentes præcaveri valeant.

Secundò: In stylo Siculicalis Mandati Divisionalis possunt quidem Regionum munere fungi etiam Vice-Judices Regii, sed longè melius fuerit ad Assesores, & Sedriæ Notarium, privatosque Nobiles, Hæreditatem Siculicalem possidentes, tale Mandatum dirigere; non enim videtur juri conveniens, ut hic stylus Vice-Judicibus etiam Regiis sonet, & tamen medio eorum  
in

in præsentiam ipsorum evocetur is, qui Divisionem non admiserit:

Tertiò; Ex fundamento Textuum Juris Patrii Decret. Trip. P. 1. T. 45. Nec non Approb. Const. P. 4. T. 1. A. 36. In Comitatenſi Mandato divisionali stylus non solet ultra Fratres, & Sorores, Patruelles, Matruelesque progredi; quia in Bonis Comitatenſibus hoc Mandatum ad Fratres, & Sorores ulteriorum graduum non extenditur, sed tantummodo inclusive ad Patruelles, vel Matrueles, ibique stylus subsistit: at verò in Bonis Siculicalibus, etiam ad superiores gradus utpote: Nepotes, Pronepotes, Abnepotes, & eorum posteros Divisionalis stylus sonare, & expediri jam inde à tempore humanam memoriam excedente consuevit.

Quartò: Declarare necesse est in utroque stylo Jus illud, quod Divisionem petens, pro fundamento habet, utrum videlicet Paterno, vel Materno jure prætendatur Divisio in bonis indivisis.

Quintò: Non debet omitti, Bona subdividenda pronunc apud quem, & præ cuius manibus habeantur: nemo enim in bonis, præ alterius manibus habitis, potest divisionem admittere.

Sextò : Insuper solet stylo hæc clausula : *Hactenus inter ipsos indivisis* : ut constet, non peti divisionem in bonis jam divisis, sed in his, quæ nondum essent actuali divisioni substracta.

Septimò : Stylo Divisionis Comitatenfis nulla evocatio solet, vel debet inseri : stylo autem Siculicali omnino inseritur Evocatio eò fine, ut qui inhibuerit divisionem in bonis Siculicalibus, ille unà eadèmq; fidelis, per ipsos Regios in non nullis locis, in sede Maros in Superiorem, in aliis autem sedibus Siculicalibus in Vice-Sedriam, rationem non admittæ divisionis efficacem redditurus evocetur.

Divisores non tenentur, nec debent cessare à peragenda divisione, si fortè aliquis eos quocunque modo, id est, sive per aliquos Residentiarios Nobiles, penes instructionem, absque tamen Mandato suæ Majestatis, sive verò vi alicujus Mandati in locis Authenticis expediti inhibuerit : ex stylo enim Comitatenfi per Clausulam *contradictione*, & *inhibitione*, quorumvis non obstante, excluditur contradictio, & inhibitio, prout docet Textus Juris App. Const. P. 4. T. 1. A. 36.

At in stylo Siculicali semel locum habet verbalis inhibitio, ad mentem modò citati



Textus combinando cum alio Textu Juris App. Const. P. 4. T. 14. A. 3. quæ inhibitiō siquidem in casu præscripto vim repulsionis habeat, attendat sibi quisvis, ne aliquō modō seipsum præcipitet, & ex aliqua temeritate post semel factam in Causa Divisionis utut verbalem prohibitionem, vel alia prohibitionem, vel verò repulsionem utatur in eadem causa: talis enim actus pro manifeste binaria repulsionem habebitur. Et hæc in causa Divisionis Tyronibus observasse sufficiat.

## CAPUT XXVI.

### *De Sedriis Siculicalibus.*

**I**N Inclyta quoque Natione Siculica, quod Processualia attinet, primum & ordinarium litigantium forum est, V-Sedria, ex eo sic dicta; quia ordinariè V-Judex Regius solet huic Sedriæ præesse: hic jam ratione Processus aliter quoque se habet, quam in Inclytis Comitatus: ibi enim, ut annotatum est, Jus Patrium Causas in A. 11. App. Const. P. 4. T. 1. specificatas, ac alias ejusdem cum illis naturæ arbitrio litigantium permittit, utrum in Sedriis Comitatus, aut verò Inclyta Tabula Regia velint movere, & prosequi. At verò in Sedriis Siculicalibus excepta Sedria

Sedriâ Inclytâ Sedis Maros, universæ Causæ Processuales moventur citatione mediante penes sigillum Vice - Judicis Regii in Vice Sedria, & illinc servatis de Jure servandis, in causis appellabilibus ad Generalem Sedriam penes Appellationem promoventur: non enim licet privatæ alicui personæ Processuales Causas Siculicales in altiori Instantiâ utpotè Tabula Regia, vel Generali Diata movere sub pœna in Articulis expressa, prout habetur in App. Const. P. 3. T. 78. A. 13.

Hinc nihilominus excipiuntur aliqui casus, in quibus licebit Personas etiam Siculicales immediatè, id est, neglectis inferioribus, & Ordinariis Sedriis in Inclytam Tabulam Regiam, vel Diatam provocare: sunt isti Casus specificati in Textu præallegato App. Const. P. 3. T. 76. A. 13. nimirum in causis Repetitionis Jobbæ gyionum, fervorùmque fugitivorum, Stationis, Contradictionum, non Obtemperacionis legitimorum Mandatorum, & Notæ infidelitatis. Extra hos autem casus qui cum persona Siculicali agere velit, ordinaria Instantiâ experiatur.

Omnes verò Casus, & Causæ in præmentionatis A. 11. App. Const. P. 4. T. 1. specificatæ, ac aliæ similes, citatione mediante

diante solent, debentque moveri in Sedriis Siculicalibus juxta dictamen App. Constitutionum P. 4. T. 1. A. 19. nec non Partis ejusdem 4. T. 14. A. 4. & quidem sive medio Juratorum Assessorum, sive verò per privatas personas, alioquin Libertate Siculicali gaudentes, Processus Citationis peragatur, in Judicio plenam vim, & effectum sortietur, dummodo Exponentes Siggillum Citatorium ab Officialibus Sedriæ excipiant, illòque mediante citationes peragi curent: altoquin enim Citatio ipsa nullam vim erit habitura in foro contradictorio, ut apparet ex nunc præcitatis Textibus.

Quænam, & qualia Remedia admittant Judicia Siculicalia ordinariè? illa clarè, & distinctè recensentur in App. Constitutionibus P. 4. T. 14. A. 5. Expressè autem prohibetur, ne fiat saltus in Causarum appellationibus, sed è V-Sedria in Generalem, inde iterum in Inclytam Tabulam fiat promotio appellationis, ut apparet ex Jure Approbatarum Constitutionum. P. 4. T. 14. A. 5.

Non incongruè hic potest quæri: Utrum Causa aliqua, vel verò Judicium, aut sententia alicujus Sedriæ, interveniente appellatione, eaque admissâ, possit executioni manci-

mancipari, antequam in foro revisorio appellacione mediante promotum, judicium inferioris Sedriæ revisum, & discussum fuerit? Hæc Quæstio non videtur in Jure Patrio locum habere posse: non enim potest supponi, aliquem usque adeo imperitum esse Juris Patrii, ut appellatam, & simul transmissam alicujus Sedriæ Causam, vel Judicium, aut deliberationem, antejusdem in foro revisorio instituendam revisionem, & discussionem executioni mancipare intenderet; obstat enim expressa Lex Patriæ Approb. Const. P. 4. T. 14. A. 5. totò quidem Articulò, & præcipuè in verbis: *Executio jok is az ollyan causaknak ante decisionem ne lebessen.* Decisio autem fieri nequit, quoad usque causa eadem in altiori instantia revisa, & discussa, priorque sententia inferioris Sedriæ, vel approbata, vel emendata extiterit.

Sed & alioquin expressa lege sancitum est, appellatarum causarum quoad omnia Puncta, Articulos, & clausulas, in illo statu relinquendas esse, in quo fuerunt tempore inchoati, & moti Processus, aut saltem tempore Appellationis: hinc Jus Patrium loco Axiomatis, & primæ in Jurisdictionis habet enunciatum: *Transmissioni nihil posse addi.* App. Const. P. 4. T. 1. A. 2. est enim certissimi Juris: *Pendente appellatione nihil posse innovari.* Imò



Imò , si res hæc ad rationes legum examinetur , videtur concludi posse : quòd aut ille Judex manciparet executioni ejusmodi Judicia , ac deliberationes , qui tulit sententiam , aut alter aliquis ? ille , qui sententiam tulit , post factam , & admissam causæ appellationem , ut eandem causam executioni posset de jure mancipare , in Jure Patrio est impossibile : quia Judex ille , qui in tali Causa sententiam tulit ( malè , vel bene hic non quæritur ) functus est officio , inque eadem causa desit esse Judex , ut habet Jus commune , ut & Glosa , in Proleg. 15. & eo ipso , quòd Judex esse desit , exutus etiam est omni facultate amplius in eadem causa procedendi. Sed neque alter Judex posset de Jure ejusmodi judicariam deliberationem in executionem deducere , quia talis sententia nondum est consecuta suum finem , ideòque expectari debet , donec in illa formaliter fuerit pronunciatum : usque enim non potest sciri , quisnam sit causæ eventus , pro quo stet veritas , & Justitia , utrùm pro Actore , vel Incto , vel verò illorum Neutro ? & sic tale judicium manebit in statu quo , usque dum in altiori foro discutatur. Si verò appellans appellationem deseruerit , tunc prior Judex sententiam exequetur ; perinde enim erit , ac si in tali Casu non fuisset appellatum : & hæc Uni-

versaliter ubicunque locorum, in quibuslibet judiciis observari debent.

## CAPUT XXVII.

### *De Processu Triduali.*

#### *Exemplum Certificationis Tridualis.*

**N**obilis T. de T. providum T. Job-  
basyonem Egregii T. de T. in por-  
tione sua possessionaria in Possessione T.  
Inclytòque Comitatu T. existente habita  
commorantem, nunc autem in hacce anno-  
tati Exponentis Nobilitari Curia in pos-  
sessione T. præfatòque Comitatu T. habita,  
ubi pro nunc essemus constituti, in vinculis  
existentem, omnino ex ipsis vinculis certifi-  
cari facit ad tertium diem, à præsentì cer-  
tificationis die legitimè computandum, ad  
exponentis Sedem Dominalem Judiciariam  
in hac eadem Nobilitari Curia more con-  
sveto celebrandam, juxta brevissimum Procef-  
sum Tridualem, in similibus Causis observari  
solitum, ratione prævia coràm latiùs decla-  
randa, eò, quòd præscriptus T. nescitur,  
unde motus, merà, & absolutâ potentiâ me-  
diante, sylvam Exponentis in Territorio  
Possessionis T. in Inclyto Comitatu T.  
locò-

locóque vulgò Emberfó vocato, ab una T. partibus verò ab altera T. vicinitatibus adjacentem Anno T. Die T. Mensis T. invasisset, & in eadem sylva ligna, ædificiis apta, succidisset, curruisque imposita quatuor boum præjuncturâ domum avehere intendisset; ipso autem Potentiario per Custodem sylvarum in facto Potentiarii actûs deprehenso eundem incaptivatum, inque hanc Curiam deductum, & in vincula coniectum, idem Exponens pro nunc quoque sub honesta custodia detineret. Quo in casu annotatus Exponens in præmentionata Sædria Dominali, coram Judicibus ipso tertio die hic loci præsentibus id erit facturus, quod Juris, & Justitiæ ordo postulaverit; & protestatur.

*Exemplum Actionis in hac  
Causa.*

**C**Ausa Nobilis T. de T. ut Actoris contra Providum T. Jobbagvionem Egregii T. de T. in portione sua possessionaria, in possessione T. in Inclyto Comitatu T. existente habita commorantem, nunc verò hic in vinculis existentem ut Inctum.

Pro A. Procurator T. de T. per quem præmissâ solenni protestatione producit Li-  
K<sub>a</sub> teras

teras Relatorias super certificatione legitime confectas, penes quas dicit: Actio mea contra Inctum hæc est: Inctus tempore in literis certicatoriis luculentè declarato, sylvam meam, in iisdem literis specificatam, merâ, & absolutâ potentiâ mediante invadendo succidit, mihiq; Potentiario suo actu grave damnum intulit, qui actus potentiarius adusque adeò sit evidens, ut nec ipse Inctus negare posset, eò, quòd in loco delicti, sive commissi actûs Potentiarîi deprehensus, & in vincula conjectus, nunc etiam in iisdem vinculis detineretur: quanquam si ausu temerario negaret, paratus sum passionibus testium omni exceptione majorum edocere, sylvam illam jure proprietatis meam esse, Inctumque in eadem sylva violentum actum patrâsse, ibique deprehensum esse. Peto itaque eundem Inctum, velut in factò delicti deprehensum, ad mentem Legum Patriarum, in mortuo homagio, inque amissione rerum omnium secum habitatum cum refusione expensarum convinci, Decr. Trip. P. 3. T. 33. In fine Tituli. Interim A. solenniter protestatur, & refert se ad præscriptas Literas Relatorias, super Certificatione legitime confectas, ut & ipsas Patriæ Leges.



*Exemplum Deliberationis in hac Causa.*

**I**Nctum loco, & tempore, in literis super Certificatione Relatoris, specificatis, in sylva Actoris ibidem denotata ligna, & arbores, ad edificium aptas, potentia mediante succidisse, & in ipso violentiæ actu deprehensum esse, tam ex ipsius facti evidentia, quàm etiam propria oris fassione, ut & trium testium idoneorum fassionibus lucidissimè constat: placuit itaque Judicio Dominali Inctum ad mentem allegati Textus Juris Patrii Incto in totali actione, & acquisitione Actoris convinci, ipsamque convictionem debitæ executioni immediatè mancipare. Et hoc Patrio Jure requirente.

CAPUT XXVIII.

*De Causis Tabularibus.*

**Q**uales, & quænam causæ concernunt Inclytæ Tabulæ Regiæ cognitionem, in superioribus aliqua ex parte exposuimus, dum declaravimus causas in corpore Juris Patrii App. Const. P. 4. T. 1. A. 11. expressas, ejus esse naturæ, quoad Proces-

sum, ut arbitrio litigantium relictum sit, Utrum in Sedriis Comitatum, vel verò in Inclyta Tabula Regia velint eas inchoare, & prosequi? Quem Textum ut Tyrones Juris quovis tempore, & loco conspectui subicere possint, hic adscribam, sic igitur se habet: *Causæ quinque Casuum Actuum Potentiariorum majorum, & minorum, deliberati item homicidii, Dotum, rerum Paraphernalium, Quartaliticorum, Tutelarum, Bonorum impignoratiiorum, Vinculorum, & Obligaminum, Depositorum, & diffamationum, Falsorum delatorum, Repetitionis Literarum, & Literalium Instrumentorum, qualitercunque apud manus alienas existentium, nec non Jobbayonum, servorumque fugitivorum, aliorumque in Articulis Regni superinde editis specificè denotatorum.* Apparet verò ex proximè sequenti Articulò duodecimo, hosce præcensitos casus pro litigantium voluntate, & arbitrio, tam Comitatus, quàm etiam Tabularium Judicum discussione posse immediatè subesse.

Additur autem in præcitato undecimo Articulo: *aliorumque casuum in Articulis Regni super inde editis denotatorum,* quo significatur, non esse hic loci omnes illos casus enumeratos, qui in Inclyta Tabula solent moveri, sed hinc indè in Articulis illos esse

esse sparfos, & per totum Juris Patrii Corpus diffusos, signanter Approbatar. Constitutionum. P. 3. T. 15. A. 1. 2. item. P. 3. T. 19. A. 3. P. omninò 3. T. 47. A. 16 A. 20. P. 3. T. 50. A. 1. §. ultimo. P. 3. T. 61. A. 1. P. 3. T. 76. A. 13. Et porrò in Causis publicationum App. Const. P. 4. T. 3. A. 1. Nec non rarione non obtemperationis legitimi Mandati App. Const. P. 4. T. 10. A. 1. quò accedunt

Primò in univèrsum omnes Casus Crimi- nales, exceptis pœnam notæ infidelitatis in- ferentibus, in Inclyta Tabula Regia posse moveri, certissimi Juris est.

Secundò. Perinde etiam omnes illæ Causæ, in quibus perennalitas Juris acquiritur, & simul etiam Privilegii productio requiritur, in Inclyta Tabula Regia debent assumi, & discuti, ut habet Jus Patrium App; Const. P. 4. T. 1. A. 12.

Est autem singulare, & præcipuum, quòd sententiæ Tabulares, ac Judicariæ delibe- rationes Sacratissimo suæ Majestatis nomine soleant expediri, ac si sua Majestas in Judi- ciis Tabularibus Sacra sua in persona præ- sens esset, hunc in modum.

MARIA THERESIA Divinâ favente  
Clementiâ Hungariæ & Bohemiæ Regina,  
Archi. Dux Austriæ, & Princeps Transyl-  
vaniæ &c &c. &c.

*Exemplum Tabularis Processûs.*

**P**ROCESSUS Tabulares ab evocatione debere  
ordiri, jam sæpius dictum, & aliunde  
tam viva Judiciorum praxis, vim legis fortita,  
quàm etiam superius toties mentionatus  
Juris Textus App. Const. P. 4. T. 1. &  
A. 13. perspicuè demonstrat. Exemplo  
res erit clarior. Ponamus Cajum in semine  
defecisse; & per hoc Universa ipsius bona,  
& Jura possessionaria ubilibet in Hæreditario  
suæ Majestatis Principatu Transyl-  
vaniæ, Partibusque eidem annexis habita,  
in Fiscum suæ Majestatis Regium, tanquam  
Universalem, & immediatum in semine de-  
ficientium lege definitum successorem, de-  
voluta esse, ut habet Jus Patrium Decreti  
Tripart. P. 1. T. 10. Fiscus Regius hoc  
in casu, quanquam immediatus talium Bo-  
norum successor, per vim nihil agit, ve-  
rùm per legitimos Regios, defectum semi-  
nis ipsius Caji, in ipso capite Bonorum,  
vel Principaliori membro, in præsentia  
Vicinatorum, & Commetaneorum penes Man-  
datum



datum publicationis eatenus legitimè emanatum, cum debita solemnitate publicari facit, clarè & distinctè declarando, Bona in mandato, super publicatione expedito, specificata, ipso Cajo in femine deficiente in Fiscum Regium esse derivata; proinde vellet Causarum Fiscalium Director, ratione Officii sui in actuale Dominium, & Possessionem eorundem Bonorum per legitimos Regios, cum consueta solemnitate se ipsum nomine Fisci intromittere, sibi que eadem cum omni jure Regio in iisdem Bonis, qualitercunque habito consignare, seque ad mentem legum legitimè statui facere, si non fuerit contradicium; si qui verò contradictores appaerint, Dicti Regii illos in Inclutam Tabulam suæ Majestatis Regiam judicariam taliter, & eo modo evocabunt, juxta consuetam styllum, ut intra unius anni decursum à tempore publicationis computando, Jura sua, si quæ pro parte sua efficacia habuerint, in Curia suæ Majestatis, sive Tabula Regia producere, & sic Contradictionis eorundem legalem rationem reddere debeant, & teneantur, Fisco Regio interea extra Dominium eorundem bonorum manente, si verò Cajum in femine non defecisse legaliter demonstraverint, eo ipso Fiscum Regium à Competentia acquisitionis, vel actoratûs munere

amovebunt, ipsi in actuali bonorum publicatorum possessione, & reali Dominio permanfuri; alioquin ipsis Contradictoribus in Demonstratione Juris sui deficientibus, Fiscus Regius bona publicata statim, & defacto contradictione, ut & Inhibitione, ac repulsione contradictorum, ac aliorum quorumlibet prævia ratione non obstantibus, adeoque penes Finale Tabulæ Regiæ sententiam, velut legitimus successor, & Hæres universalis apprehendet. Proderit autem hic observasse Processum Publicationis, ut patet ex ipsius App. Const. P. 4. T. 3. A. 1. esse totum quantum privilegiatum, ut sanè præter Prohibitam ex mente legum, usque duntaxat triduum vim habentem, & parium petitionem, nullum prorsus admittat remedium: cœtera enim omnia Juris beneficia hinc exclusa prorsus esse dignoscuntur. Frustra itaque hic ad remedia, ut sunt Inhibitio, cum Novo, Exmissio, Novum Judicium, Repulsio, & Appellatio, recurretur: hæc enim, & alia, quæ sunt, beneficia Juris, exceptis præmissis, succumbenti leges Patriæ denegârunt, neque illis, ut loquuntur Juristæ, intra Dominium contra Fiscum Regium uti licebit; extra tamen Dominium poterit legitime prætendens ad beneficium Novi Judicii Gratiiosi confugere, & inde auxilium implorare.

*Exemplum actionis Tabularis in causa  
Publicationis.*

**S**ic itaque in Causis Publicationum Levata, sive libellus Actionalis concipitur, dorsóque Literarum publicatoriarum inscribitur: Anno T. Die T. Mensis T. Causa Levata.

Pro A. introscripto, nimirum Egregio T. de T. causarum suæ Majestatis in Principatu Transylvaniæ, Partibusque eidem annexis Fiscalium Directore ratione officii sui Directoratûs Procurator T. de T.

Pro I. verò introscripto, & contradictore nimirum Egregio T. de T.

Et A. perpræscriptum Procuratorem præmissa solenni protestatione petit Bona introscripta, per defectum Seminis introscripti Caji publicata à Contradictione Inctorum judicialiter absolvi, & suæ Majestatis Fisco Regio adjudicari, dictumque Actorem ratione Officii sui nomine Fisci Regii in actualem eorundem Bonorum Possessionem, & reale Dominium penes sententiam introduci: & protestatur solemniter.

Tempore verò dictatæ hujusmodi Levatæ si Incus, & contradictor à facie Juris absens fuerit, in totali acquisitione Actoris

de Jure convincetur : interim , prout in Comitatusibus , ita in ipsis quoque Tabularibus Causis eodem die post solutam Sedriæ sessionem in hospitio Magistri Proto-Notarii coram eodem sine omni onere verbalis, Prohibita nomine Incti per tertium aliquem facta de Jure admittitur. App. Const. P. 4. T. 1. A. 18.

Dicitur *per Tertium aliquem* : quia Prohibita datur absenti à Judicio, & ideo in sua persona Inctus Prohibitâ uti non potest, nisi velit pœnam calumniæ incurrere App. Const. P. 4. T. 1. A. 14.

Dicitur *eodem die* : quia , si eodem die , quô scilicet pronunciata est , ut supra in causis Comitatusibus præattactum est , apud Magistrum Proto-Notarium sententia non fuerit prohibita , sequenti statim die ejusmodi Prohibita locum non habebit , sed officio Proto-Notariali incumbet Prohibitam alterô die non acceptare , ipsamque Sententiam in causis Fiscalibus Fisco Regio extradare , ut sonat Jus Patrium in præcitato Textu App. Const. P. 4. T. 1. A. 1. 8.

Est nihilominus Discrimen inter Tabularem, & Comitatusensem Prohibitam : institutâ enim in Sedriis inferioribus Prohibitâ , eo ipso



ipso differtur *Causa* in terminum *Judiciarium* proximè affuturum: *Tabularis* autem prohibita usque duntaxat triduum, & non amplius durat, potèstque *causa*, utut fuisset prohibita, elapsò tridui spatiò rursus in *Tabulam* assumi hunc in modum.

Pro *Actore*, suprà scripto, *Procurator* idem.

Pro *Incto* verò, suprà scripto, & prohibente.

*Præscriptus A.* petit *Prohibitam Incti*, in præsentem *Causam* factam, à *Jure* annihilari, ipsamque sententiam in vigore relinqui, ac debitæ executioni immediatè demandari. Jam in tali casu, si *Inctus* & *Prohibens* secunda etiam vice à facie *Justitiæ* seipsum absentaverit, adeoque neque per seipsum, neque per *procuratorem*, legitimè constitutum, comparuerit, & sic seipsum defendere neglexerit, manebit sententia in vigore, nullòque remediò obstante executioni mancipabitur: nullum enim remedium tali *Incto*, & *Prohibenti* in casibus præprimis *Publicationum* intra *Dominium Bonorum*, liti *substratorum*, suffragatur, sed, ut mox dicebatur, ad beneficium solius novi *Judicii gratiosi*, & quidem semel duntaxat extra *Dominium* recurrenti habebit *Convincens* facultatem: si autem *J.* tempore levatæ *Causæ* vel in pri-

mo statim assumptionis termino, vel verò exposit, dum Causa penes prohibitam continuabitur, præsens fuerit, habebit utraque Partium, idest, tam ipse J. quàm etiam A. in quibusvis literalibus in foro contradictorio ab utrinque vel jam productis, vel exposit etiam producendis, paria petendi, concedenturque de Jure utrique Partium, in quibusvis non privilegialibus productis, vel producendis semel paria regulariter, & de ordine usque duntaxat ad tertium, nisi fortè causarum multitudinis ratio, & circumstantiæ, vel aliæ graves, & legales rationes assumptionem causæ impedirent: tunc enim tali circumstantiæ, & gravibus causis ab utrinque parendum, & congruum assumendæ causæ tempus præstolandum, Justitia, & æquitas requirit.

Meretur hac occasione notari, Inetos, & Contradictores non semper habere efficacius jus ad obtinenda bona publicata, & sub contradictione existentia. Et sic, si tertius aliquis intervenerit, cujus Jus ratione eorundem bonorum longe fuerit fortius, & efficacius contradictorum Jure, ac præensione; tunc ille tertius, cujus Juribus leges Patriæ, & ipsa Justitia quoad Bona, liti subtrata, fortius assistunt, habebit Jus in foro contradictorio, ante tamen finalem causæ decisionem,

nem, vel legitimam Partium principalium transactionem, in causam penes ingestionem seipsum immittere debet, hunc, vel similem in modum.

Pro Ingerente nimirum Generoso T. de T. Procurator T. de T. per quem præmissâ protestatione ingerit se causæ præsentis, producitque sua literalia documenta, Bona publicata secundum leges Patrias, ex fundamento prærogativæ sanguinis, & divisionalitatibus, in iisdem Bonis habitæ, ad se pertinere: adeoque penes sententiam petit eadem bona sibi adjudicari, eâ quidem lege, ut expensas in ratam Portionem suam cedentes, paratus sit Actori legitimè refundere: & protestatur solemniter.

*Requisita ab Ingerente observanda.*

**P**rimò: Ingerens si causæ competentia deductionem Genealogiæ requisiverit, tunc Genealogiam suam ad stipitem usque deducere tenebitur; cum enim Actoris vicem Ingerens sustineat, nisi defacto edocenda docuerit, ab ingestione amovebitur, prout sonat Textus Juris Decreti Tripartiti. P. 2. T. 84. & 85.

Secundò. Prudenter agant Partes, neque seipsas negent esse temerè de sua generatio-  
ne

ne usque ad quartum gradum inclusivè , ne prodicionis fraterni sanguinis reæ dici possint , Decreti Trip. P. 1. T. 39.

Tertiò. Prout præmissum est , ingessionem instituat ante finalem causæ decisionem, aut Partium legitimam in eadem causa factam transactionem.

Quartò. Promittat etiam expensas, usque ad ingessionis tempus in illam causam insumptas, Actori refundere.

Quintò. Ingressio in Judicio contradictorio , & non extra Sedriam debet fieri.

Sextò. Ingerenti competit Jus ab Actore, & Incto paria productorum , vel producendorum semel petendi : ubi autem est jus paria petendi , ibi est etiam jus eadem concedendi , & prout semel tantum peti potest , ita etiam semel solum debet , potestque concedi.

Septimò. Nec Inctus principalis , Sed neque Ingerens habet jus petendi Exmissionem pro edocenda sua prætenione , & exmissionis petitione causam Publicationis proteclare , & ideò eadem illis nec debet , nec solet concedi : est enim Causa Publicationum , ut jam dictum , ex parte Fiscus suæ Majestatis Regiæ , privilegiata , & ideò  
virtute



virtute Privilegii præter prohibitam, & parium petitionem, absolute nulla admittit remedia.

Juvabit alium quoque brevem Processum Tabularem referre. Casus talis est. Titius homo Nobilis, & Patritius adhuc ante sæculum, & siquid excedit, integrum & totale Prædium Aviticum, Tusculanum dicitur, in Incolyto Comitatu T. habitum, Communitati T. in certa summa pecuniaria, nullâ rationabili de causâ, nullâque præmissâ ad fratres suos, velut legitimos successores, legitimâ admonitione perennali Jure abalienaverat: Titiani autem Hæredes, idem Prædium habere volentes, legitimè admonuerunt, actuales bonorum abalienatorum Possessores, quatenus depositâ per Hæredes totali summâ capitali, dictum Prædium Tusculanum, Avitico Jure ad illos spectans, contra leges Patrias, & in Præjudicium successorum absque rationabili causa abalienatum, ipsis, quâ in eodem Prædio Avitico legitimis successoribus redderent, & restituerent. Possessores autem non curatâ tali admonitione, dictum Prædium non restituerunt, Hæredes quâ Actores, ob non levatam pecuniariam summam, & non restitutionem mentionati Prædii, Possessores ipsos evocari curant ad Diem octavum à die

die hujusmodi admonitionis, & evocationis computando juxta brevem Judiciorum Processum, in Tabulam suæ Majestatis Regiam, rationem non restitutionis mentionati Prædii Avitici reddituros efficacem, & sic Casus iste fertur ad judicium: in ipso autem termino, ut vocant, Oñiali, Causa coram Tabula Regia assumitur, Incti non comparent, adeoque fertur sententia contra illos per non venientiam; illi autem eodem Die sententiam apud Magistrum Proto-Notarium prohiberi faciunt. Post triduum Causa rursus assumitur, & annihilatō prohibitæ remediō petit A. priorem sententiam in vigore relinqui. Incti secunda vice coram Judicio se sistunt, petuntque paria actionum, ac aliarum Literarum ad eandem Causam, & Actionem pertinentium, quæ de Jure ipsis conceduntur. Hinc proceditur ad ulteriora, & excipiunt Possessores, sive Incti contra competentiam Actoratûs hōc argumentō: quod siquidem Titiani Hæredes deberent ipsos Inctos, & Possessores in Dominio Bonorum, liti substratorum, defendere; tempore enim abalienationis Bonorum, abalienans onera successorum suorum in se assumendo, id effecisset, ut Hæredes, & successores ipsius non solum litigiosa, impetere non possent, sed è contrario, illi tenerentur Inctos.

Inctos contra quosvis legitimos impeditores in actuali eorundem Bonorum possessione conservare, adeoque non possent habere competentiam contra Inctos ad agendum. Respondent autem Actores, ipsos ejusmodi onerum assumptioni non consensisse; quin potius illi tempestivè contradixisse, eandem retractasse, & contra eam publicè, & in loco Authentico protestatos fuisse, & ideo Inctos illa Exceptione contra Actores uti non posse, eò quòd in Jure fundamentum non haberet; quod & iudicio visum. Nondum hic subsistunt possessores, verùm obijciunt, quòd ex quo Actores quoque bona litigiosa perennali Jure abalienata esse non negarent, ideo non brevi, sed longiori processu illa requirere deberent. Actores autem repouunt, rectè se res haberet, si venditor, aut emptores tempore abalienationis præmississent admonitionem, & quidem ipse abalienans super intentione abalienationis, Emptores autem super emptione bonorum, ipsos successores legitimè certiores reddissent: nunc autem rebus se aliter habentibus, ipsaque admonitione prætermisâ, patet Actores habere viam, & processum brevissimum bona abalienata reacquirendi, expressè enim dicitur Jus Patrium Decreti Trip. P. 1. T. 60. ejusmodi bona, in quorum

rum abalienatione nulla præmissa esset ad successores legitima admonitio, in unico termino Juridico octavali, id est, processu brevissimo, reacquiri deberi, nec posse eorundem reacquisitionem unicum terminum octavalem præterlabi: qua responsione in Judicio Irminatâ, placuit Judicio quoque, brevissimo processu ex mente præcitati Textûs Juris, hic locum esse: sed ne hic quidem subsistunt Incti, verum petunt sibi à Jure tempus, & respirium ad exmissionem eum in finem concedi, ut edocent tempore apprehensionis litigiosorum bonorum præmissam fuisse legitimam ad successores admonitionem, ipsosque certos redditos esse super hujusmodi bonorum abalienatione. Actores in contrarium allegant; Dilationem, vel Exmissionem hic non habere locum, eò quòd juxta fundamentalem Actorum assertionem hæc causa præsentem terminum Judicarium præterlabi non posset, & ideò si quid Incti edocere vellent, in instanti id fieri oporteret, qua responsione in Judicio pro efficaci admisâ, ulterius adhuc Incti seipsos defendunt, petuntque rursus ad statuendum Evictorem tempus illis, & respirium concedi. Sed hac quoque petitione ob præscriptam rationem, quòd causa in unico termino Juridico decidi deberet, in Jure non admisâ, progrediuntur

Incti,



Incti, & cum hactenus exceptionibus se ipsos defendissent, nunc ad causæ meritum veniunt, petuntque in merito exmitti ad alium terminum competentem, ut comprobent, & edoceant se Bona litigiosa, bono, & sincero jure manutenere, & ideo ad restitutionem eorum non teneri, cum ob scriptam rationem Exmissioni etiam in merito, hic locus esse non posset, placuit Judicio hanc quoque allegationem inefficacem pronuntiare; itaque Inctus ad ulteriora in sui defensione progredientibus, & objicientibus ipsos, aliquot vicibus in bonis litigiosis pacifica sua possessione peremptorie præscripsisse, & ideo illos in hisce bonis, velut Jure perennali acquisitis, & pacificè tentis, & possessis in posterum quoque, & quidem in perpetuum, ad mentem Literarum sub alienatione, Jure perennali celebrata, emanatarum permanere, & persistere debere: Titianis autem Hæredibus, quæ Actoribus, Literis, ac Literalibus Instrumentis in locis Authenticis pro sui parte legitimè, & tempestivè confectis edocentibus, in bonis Litigiosis ob tempestivè, adeoque legitimè intervenientes Contradictiones, retractationes, & solemnes protestationes peremptoriam præscriptionem præclusam esse, & sic cum nihil amplius habeant Incti, quò bona litigiosa pro se se conservare valerent, ideo

ideo visum est *Judicio*, quòd ex quo eadem bona *Litigiosa* contra *leges Patrias* ut habetur in *Decreto Tripartito*, *P. 1. T. 58. & 59.* absque ulla rationabili, & evidenti causa, & ratione, utpote ad ipsos *Actores Jure Avitico* spectantia, & pertinere debentia, in præjudicium *Juris Avitici*, & *secessorii abalienata* dignoscerentur, ob hoc *Actoribus* perpetuò tenenda, possidenda pariter, & habenda ad mentem præmentionati *Textûs P. 1. T. 60.* in unico termino *Judiciario* contradictione, inhibitione, & repulsione *Inctorum*, ac aliorum quorumlibet, prævia ratione non obstantibus, ad hocque finali sententia mediante, in *Universum* omnibus *Juris* remediis, quibus *Causa* in alium terminum *Judiciarium* profectari potuisset, hinc præclusis, & abmissis, præannotata *Bona litigiosa* readjudicantur, verisque *Titianis Hæredibus* addicuntur, & restituantur, communi *Justitiâ*, & *Jure Patrio* dictantibus. *En casum*, & *Ideam* brevissimi *Processûs Tabularis*, omnia prorsus *Juridica* remedia transcendentis.

Huc etiam spectat *Causa fraudulenti*, & *simulati Concambii* juxta *Decreti Trip. Textum P. 1. T. 17.* cum cæteris similibus; cum & illæ, ac aliæ similis indolis in unico termino *octavali* finaliter decidi, & definiri debeant.

Quamvis autem sæpè mentionati, & in Codice Juris Patrii Appr. Const. P. 4. T. 1. A. 11. expressi Casus in Inclyta Tabula Regia brevi Processu mediante moveri soleant, illi nihilominus in unico termino Juridico omnes decidi non possunt: inter Processum itaque, penes quem hi Casus promoventur, & illum, quo mediante Causa in unico termino decidi consuevit, hoc est discriminis, quòd hic posterior brevissimus; alter brevis duntaxat processus, ex usu, & consuetudine Juris dici mereatur; in hoc enim posteriori, ut experientia teste comperimus, nullum Juridicum remedium solet de Jure admitti, cujus virtute Causa in alium terminum definienda differri possit; in illis autem casibus, quos Jus Patrium in toties mentionato textu Ap. Const. P. 4. T. 1. A. 11. expressit, ordinaria Juridica remedia admittuntur, quorum virtute decisio Causæ superinde motæ in alios Juridicos terminos *Differtur*: ut cuivis rem hanc indaganti manifestum est, & ideo horum casuum processus, relatè ad longum, vel longiorem processum, eo nomine indigitatur; nam in his quoque Casibus Evocatio non ad quindenam, ut in longis processibus, sed ad octavam diem solet Institui: neque isti casus, ut sit in longioribus processibus App. Const. P. 4. T. 1. Art. 31. duas Prohi-

Prohibitæ, sed saltem unam recipiunt, ad mentem Juris App. Const. P. 4. T. 1. A. 18 & porro in hisce casibus, & causis brevi processu motis sententiæ per non venientiam partis Inctæ pronunciatae, si eodem die, quo sententia pronunciata est, non prohibeantur, immediatè sequenti die solent, debentque de jure Parti actoriæ extradari, ut docet jus Patrium App. Const. P. 4. T. 1. A. 18. in longis autem Processibus, sententiæ per non venientiam latae, in causis ratione Bonorum Comitatus in Corpore Principatus existentium motis, ante octavum diem inclusivè, idque non à primo die termini octavalis, verum à die proclamationis computando, extradari solent, ut expressè habet Jus Patrium App. Const. P. 4. T. 1. A. 35. ubi iterum observari meretur, leges Patrias in causis ratione bonorum Comitatus in partibus Principatui annexis existentium suscitatis, Inctis ad præfixum terminum Judicium ex causis in Trip. P. 2. T. 59. declaratis comparere non valentibus, plus temporis indulserunt, ut propter loci distantiam, sibi ipsis de necessariis mediis, & quibuslibet legitimis instrumentis defensionis ipsorum deservientibus commodius prospicere possint, ac valeant; quorum occasione id quoque Tironibus Juris dignum videtur ob-

serva



servatu; quòd sententia per non venientiam in Inclÿta Tabula Regia pronunciata, ex antiquissimo consuetudinarii Juris usu, sub duorum, & non unius duntaxat Proto-Notariorum subscriptionibus soleat emanari, & quidem unus Magistrorum *lectam*, hunc in modum, *Lecta, Proclamata, & extradata* per T. Magistrum Proto-Notarium, alter verò coram me Magistro T. Proto-Notario, subscribere debeant, & teneantur, prout ex antiquis observationibus Juridicis videri potest; & hæc de Processu Tabulari.

## CAPUT XXIX.

*De Processu Diatali.*

**N**Ecesse est primum scire, quinam Casus possint, debeantque subterni Diatali: Jus Patrum pronunciat, Casus notorios in Generali Diata penes Evocationem prosequendos esse. App. Coult. P. 4. T. 1. A. 12. qui verò sint casus Notorii, præcipuè, & potissimum declarat Textus Juris Decr. Trip. P. 1. T. 14.

Ut verò hac etiam in Parte Tyrones Juris in claris esse possint: Diatale Judicium considerari potest, vel prout denotat Curiam Inclÿtorum Statuum, & Ordinum,  
L dum

dum videlicet, & quando causa aliqua ejus est naturæ, ut requirat Inclytorum Statuum, & Ordinum Trium Nationum Cognitionem, & Decisionem præsentis actuali Statuum præside instituenda; & hoc est, quod naturam Diæialis Judicii propriè constituit; vel verò Diæiale Judicium sumitur, pro illa Judicii forma, quam hætenus Inclyta Tabula Regia sub Generali Diæta horis nempe Pomeridianis exercuit: ita, ut publicum præprimis suæ Majestatis, ut & Principatûs servitium spectantia, sive illa sit Juridica, sive verò Politica, ante Meridem, Judicia verò in Tabula Regia sub Diæta exerceri solita, post prandium pertractentur: & quidem in Tabula Diæiali antea discutiebantur Causæ publicationum, universaliter quarumlibet Transmissionum, ad Tabulam directarum, nec non repetitionis, & non restitutionis Jobbationum, servorumque fugitivorum, ac aliorum, in Articulis passim denotatorum, prout superius quoque illarum facta esset mentio. In Curia autem Inclytorum Statuum, & Ordinum, juxta Benignissimum non pridem, ex hac terra ad Cælestem Hæreditatem evocati Augustissimi, & Gloriosissimi Imperatoris rescriptum de Anno 1737. Clementissimè indultum, non nisi

Causa Notorii, nec non Causæ Publicationis Privilegialium, & subsequentium contradictionum, si hæc publicè, seu in Curia Statuum tactæ fuerint, injuriarum ad Dietam proficiscentibus, aut verò ibi existentibus illatarum, productio bonorum purè Fiscalium, metalium reambulationum, si cui per Mandata, & Proto-Notarios, vel Capitulares procedere visum non fuerit, oculatarum revisionum, si nimirum materia subversans diversorum Comitatum, Sedium, Civitatum, & oppidorum annexa Territoria involvat, etiamsi litigantes sint privatæ personæ, de restitutione in integrum contra aliquam Communitatem Magistratualem, vel superiorem Jurisdictionis Jusitiarium motæ, pertractentur. Et hæc pauca in Nomine DEI, & in Tyronum Juris emolumentum, de libello actionum, rudi penicillo, & stylo quàm humili delineasse pro nunc sufficiat.

Quibus commode annectitur celebris

Quæstio: Utrum litigare liceat? Respondet Juris-Consultus aliquis omninò licere, Bonorum, quæ alter sanguis dici possunt, famæ, & salutis conservandæ gratiâ: ita enim ait sacer Textus inter cætera Deuter. C. 1. v. 16. *Audite, id est querulantes & quod iustum est, judicate sive Civis sit ille,*  
L 2
sive

*sive Peregrinus. v. 17. Non sit respectus Personarum, ita parvum audietis, ut magnum: nec accipietis cujusquam Personam, quia Dei iudicium est Item Isaia 1. v. 17. discite benefacere: quarite iudicium, subvenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam. Alit ob levem causam, nimirum propter gallinam, aut anserem, & ut dici solet, de lana caprina &c. in iudicio litigare turpe est: longè autem sordidius, & turpius est ob injustam causam litigare; temerarius enim, & injustus litigator non potest non lædere conscientiam. Hinc vanitati mortalium adscribendum, quòd aliqui magno animi conatu de anseris vindicando, glande legenda, & stillicidio evertendo, sæpe in iudiciis instantissimè disceptant, quasi vera, & æterna animæ salus in levibus hisce rebus consequendis consisteret: felices itaque illi, qui spiritualibus meditationibus nocte, dièque intenti, posthabitis inanibus litigiis, ad perpetuam animi tranquillitatem, verum Cæleste gaudium, & infinitam, ac beatificam Dei visionem consequendam, omnem suum conatum, & studium consecrant; omnibus Electis Dei, & Sanctis Angelis in omnem æternitatem, & ultra ineffabili gaudio perfusi, canere possunt, *Gloria in Excelsis Deo.* Desistat itaque quivis temerè litigare, proximum-*



rimumque suum odisse; erit enim tempus,  
quo contra ejusmodi litigantes, Judicesque,  
& Advocatos, concipietur sententia hunc,  
vel similem in modum. *Redde, quod accepisti,*  
quando contra veritatem stetisti, iniquitati  
advisti, proximum fefellisti, justam causam  
subvertisti, viduas, & orphanos oppres-  
sisti, de falsitate vicisti. Incumbit ergo  
curvis cogitare se esse hominem, & non  
quid ipse velit, sed quid lex, amor proxi-  
mi, & Religio dicet, meminisse; habere  
in consiliis legem, fidem, Religionem,  
æquitatem; maxime verò æstimare, Deum  
testem, & conscientiam, quæ est mentis  
lux, qua nihil homini divinitus salubrius  
concessum est, vel quod idem est: qui-  
vis sive Judex, sive Advocatus, sive  
litigans, abstineat à malo, vivat honestè,  
neminem mortalium lædat, quin  
potius unicuique, quod  
suum est,  
reddat.





# INDEX CAPITUM, ET RERUM SUBSTRA- TARUM.

	<i>Pagina.</i>
CAPUT I.	
De Idea, vel Libello Actionum Juridica- rum.	1.
CAPUT II.	
De Divisione Actionum.	5.
CAPUT III.	
De Ordinandis Testamentis.	8.
CAPUT IV.	
De Possessione.	15.
CAPUT V.	
De Actione Personali.	20.
De Requisitis Contractuum.	20.
De Distinctione Contractuum in genere.	26.
CAPUT VI.	
De Mutuo.	26.
CAPUT VII.	
De Indebito.	27.

# I N D E X.

*Pagina*

## CAPUT VIII.

De Commodato. - - - 28.

## CAPUT IX.

De Locatione. - - - 30.

## CAPUT X.

De Deposito. - - - 30.

## CAPUT XI.

De Sequestro. - - - 33.

## CAPUT XII.

De Emptione, & Venditione. - - - 35.

## CAPUT XIII.

De Admonitione in quavis Possessionaria ab-  
alienatione necessario pramitteuda. 51.

De Evictione. - - - 53.

## CAPUT XIV.

De Juribus impignoratiis. - - - 57.

## CAPUT XV.

De Mandato. - - - 62.

## CAPUT XVI.

De Transactione. - - - 72.

## CAPUT XVII.

De Concambio. - - - 74.

## CAPUT XVIII.

De Donatione. - - - 74.

## CAPUT XIX.

De Consensu Regio. - - - 80.

## CAPUT XX.

De Contractibus tacito consensu iniri so-  
litis. - - - 83.

CA-

# INDEX.

Pagina.

## CAPUT XXI.

De Delictis. . . . . 85.

## CAPUT XXII.

Quid est Filialis Sedria? . . . . . 93.

Quæ, & quales Causæ in hoc Foro solent tractari? . . . . . 95.

De Furto. . . . . 102.

Quid est Jus Naturale? . . . . . 103.

Quas habet Crimen furti species? . . . . . 104.

Exemplum, vel Idea Criminalis Actionis in Filiali Sedria. . . . . 106.

Deliberationis Exemplum. . . . . 108.

## CAPUT XXIII.

De Particulari Sedria, quam usus vocat Partialem. . . . . 113.

Qui nam sunt Judices in hoc Judicio? . . . . . 114.

Instructio. . . . . 117.

Quid est actus Prohibitæ? . . . . . 120.

Quæ sunt hujus Remedii essentialia? . . . . . 120.

Quid est Inhibitionis Remedium. . . . . 122.

Quid est discriminis, inter Pronibitam, & Inhibitionem? . . . . . 122.

Quæ sunt Essentialia Inhibitionis cum novo expeditæ? . . . . . 123.

Instructio. . . . . 124.

Ubi habent hæc fundamentum? . . . . . 126.

Quid est Exmissio? . . . . . 128.

De Litis Contestatione. . . . . 129.

Quid ergo est Contestatio Litis? . . . . . 129.

Quæ



# INDEX

*Pagina*

Quæ est hujus rei ratio? -	130
Quid est probare in Jure? -	130.
Quot verò Testes ad plenam probam, & certitudinem requirantur? -	131.
De Præsumptionibus. -	136.
De Juramento. - - -	139.
De Recognitione. - - -	141.
De Collaterali Inquisitione. -	144.
De Communi Inquisitione. -	144.
De Oculata Revisione. -	145.
De Literalibus Instrumentis -	146.
De Argumentis. - - -	147.
De Confessione Judiciali. -	149.
Instructio Certificationis. -	152.
Exemplum Certificationis, ad reddendam repulsionem. - - -	160.
Ex parte in causam attracti, qualiter le- gitimatio institui solet. -	162.

## CAPUT XXIV.

De Generali Sede Judiciaria. -	163.
Exemplum, & Casus huc faciens. -	165.
Instructio. - - -	167.
Quæ sunt Substantialia hujus Processûs. -	170.
Quo Jure dicitur hic Processus Brevis Brevium. - - -	179.
De Homicidio. - - -	190.
De Homicidio casuali. - - -	195.
De Homicidio necessario. - - -	197.
Quæ inculpatæ Tutelæ requisita? -	198.

Exem-

# I N D E X.

*Pagina*

Exemplum processûs Criminalis coram Generali Sedria penes Citationem moti.	201.
Exemplum Actionis in hac Causa.	203.
Deliberatum in præsentî Causa.	204.
<b>CAPUT XXV.</b>	
De Foro, seu Sedria Divisionali.	205.
Exemplum Certificationis in præsentî Materia.	207.
<b>CAPUT XXVI.</b>	
De Sedriis Siculicalibus	213.
<b>CAPUT XXVII.</b>	
De Processu Triduali.	218.
Exemplum Actionis in hac Causa.	219.
Exemplum Deliberationis in hac Causa.	221.
<b>CAPUT XXVIII.</b>	
De Causis Tabularibus.	221.
Exemplum Tabularis Processûs.	224.
Exemplum Actionis Tabularis in Causa Publicationis.	227.
Requisita ab ingereute observanda.	231.
<b>CAPUT XXIX.</b>	
De Processu Dietali.	241.

F I N I S.

BIBLIOTECA  
ASTRA  
MUNICIPALIS

